PACATVS IMPACATVS

Ad examen vocatus.

SEV

Examẽ responsionũ, quibus ad rationes cõtra Pacem Confœderationis in libello PAX NON PAX *inscripto factas, Anonymus quidã in suis* VINDICIIS PACIS, *respondere frustra est conatus.*

Authore
Lucio Vero Pacato Cosmopolitano.

Ad Rom: 16.

Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.

2. Cor: 6.

Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus.

D. Cyprian: Epist: 55.

Nulla societas fidei & perfidiæ potest esse.

D. August: c. Schisma: 24. q. 1.

Non habemus partẽ cũ ijs, qui faciunt partẽ; qui se ab vniuersali Ecclesia diuiserunt.

D. Hieron: in Apolog: 2. ad Ruffinum.

Sit inter nos vna fides, & illico pax sequetur.

Honorius Imp: l. 42. de hæret. c. Theod.

Nullus nobis sit aliqua ratione coniunctus, qui à nobis fide & religione discordat.

CRAC: In Officina Andr: Petr. S. R. M. Typogr.
Anno Domini, 1616.

COELESTINVS PAPA THEODOSIO IMP. apud Baron. Anno D. 431.

Maior vobis fidei causa debet esse, quàm Regni: ampliusq́; pro pace Ecclesiarum Clementia vestra debet esse solicita, quàm pro omnium securitate terrarum. Subsequuntur omnia prospera, si primitùs quæ Deo sunt cariora seruentur. Abraham fide floruit, omnemq́; orbem gloriæ suæ prosperitate impleuit. Moyses populi liberator, zelum Domini contra eos, si quos à Dei cultu discessisse probârat, armauit. Dauid Regem, sua præcepta seruantem in Regno, vt ille inimicos suos subderet, Dominus custodiuit. His ergo exemplorum vallati præsidiis, fide, obseruatione, virtute, vniuersalis Ecclesiæ in Deum nostrum piissimum cultum, ne sibi aliquid dissensio vendicet, custodite. Pro vestri enim salute imperij geritur; quicquid pro quiete Ecclesiæ, vel sanctæ Religionis reuerentia laboratur.

LEO PAPA LEONI IMPERATORI, Epist: 75.

Debes incunctanter aduertere, Regiam potestatem tibi, non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam: vt ausus nefarios comprimendo, & quæ sunt bene statuta defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata restituas.

IVSTINVS IMPERAT: apud Niceph: Lib: 17. c. 35.

Pacem meam do vobis, inquit Dominus Christus verus Deus noster: pacem relinquo vobis, idem promulgat omnibus hominibus. Id verò aliud non est, quàm vt in eum credentes, in vnam & eandem Ecclesiam conueniant, consentientes quidem animis, in recta Christianorum sententia; auersantes autem eos qui contraria dicunt aut opinantur. Primaria namq́; salus hominibus constituta est, ipsa rectæ fidei confessio.

HORMISDA PAPA EPIPHANIO EPIscopo Constantinopolit. Baron: A. D. 521.

Manifesta supernæ misericordiæ documenta hinc producuntur, quando & humani Principes, causam fidei cum ordinatione Reipubl. coniungunt; & Ecclesiarum Præsules, quod ad dispensationẽ suam pertinet, officij memores exequuntur.

INDEX

INDEX CAPITVM.

PRÆFATIO ad Lectorem.

VERVM est illud, veritatem nunquam magis, quàm ex opposi-tu cõtrariæ falsitatis elucescere: neq; alia ratione melius, rationũ & argumentorum, quæ pro tuenda veritate adducuntur, firmitatem, quàm si eas infringendas sibi sumat aduersarius, cognosci. Id adeò vel in præsenti negotio facile cerni potest. Prodierat non ita pridem scri-ptũ quoddam breue, PAX *non* PAX *inscriptum; in quo nonnullis ratio-nibus ostensum est, pacem Confœderationis (quam vocant) seu homi-num religione inter se dissidentium, non esse veram pacem, nec pacis nomine appellandam. Pupugit videlicet hoc scriptum Euangelicos, qui sunt præcipuì Confœderationis huius authores & patroni. Vnus ex illorum grege, qui se cæteris ingenio & eruditione putauit antecel-lere, sumpsit sibi hoc negotium, vt rationes illas dissolueret. Edidit itaq; libellum, cui titulum fecit,* VINDICIÆ PACIS, *Vindex scilicet pacis egregius, qui pacem Confœderationis vi argumentorum subactam & oppressam, in libertatem conatus est asserere. Sed certè satis infeliciter, ingenij & doctrinæ suæ periculum fecit; dignus qui scopas potius malè concinnatas & adstrictas, quàm argumenta rectè & firmiter conclusa dissolueret. Quem quidem ego honoris causa dein-ceps* PACATVM *appellabo; etsi ipse authorem scripti illius, pro mo-destia Euangelica, virulento vocabulo, contumeliæ causa* IMPACATVM *vocauerit. Cum hoc itaq; Pacato hîc agam, vt responsiones eius, quibus prædicti scripti rationes diluisse sibi videtur, ad examen reuocem, & quàm sint solidæ, quàm ad propositum aptæ dispiciam; te iudice & ar-bitro, Candide Lector, modò ne quid huc domo præiudicatum afferas.*

Nunc ad rem ipsam aggredior.

CAPVT

CAPVT I.

Responsio Pacati ad primam rationem examinatur.

PRIMA ratio contra pacem Confœderationis, facta fuit huiusmodi: *Pax Dei cum diabolo, non est pax: sed pax Confœderationis, est pax Dei cũ diabolo: Ergo non est pax.* Pacatus eleuat huius rationis pondus. *Prima (ait) ratio, profectò parum in se solidi, parum sani habet, inuidiæ plurimùm.* Expendamus ergo singulas eius propositiones. Quid tibi videtur Pacate, de illa propositione; *Pax Dei cum diabolo, non est pax*; admittisné illam vel reijcis? Respondes: *Quis nostrûm, quis Christianorum vnquam aliud asseruit?* Admittis ergo illam libens, & quidem tanquam apud vos, & Christianos omnes indubitatam. Si ita est, parùm profectò consideratè scripsisti, rationem authoris primam, *parum in se solidi, parum sani habere, inuidiæ plurimùm.* Nam non parum in se solidi, nec parum sani habet illa ratio, cuius vel vnam propositionem nemo Christianorum potest negare. Neq; intelligo cur inuidiosum esse debeat, aliquam rationem fundamento apud omnes Christianos recepto niti. Sed non placet Pacato, confirmatio eiusdem Propositionis, quam Author ex Apostoli verbis petijt: *Paulus* inquit, *eo loci, ne syllabam vnam, nedum voculam protulit, quæ ad propositi confirmationem faciat.* Pacate, aperi quæso oculos, & lege verba illa Apostoli ab Authore producta; *Quæ conuentio Christi ad Belial?* audesné dicere, nihil hæc ad propositi confirmationem facere? Mirum certè qui fiat, vt hæc verba, quando ab Euangelicis contra Catholicos proferuntur (ne in aliqua prouincia Euangelica, liberè suis moribus & institutis viuant) plurimùm ad huius propositi confirmationem faciant; è contra, quando à Catholicis contra Euangelicos in eadem re vsurpantur, nihil omnino propositum confirment. Sed age Pacate, Non intelligi eandem

Temerè Pacatus eleuat primam rationem authoris.

Nam concedit Maiorem ipsius.

2. Cor: 7.

Vide quæ infra cap: 7. & 8. ad marginem annotãtur.

esse sensu propositionem hanc Apostoli; *Quæ conuentio Christi ad Belial*; cùm illa Authoris, *Pax Dei cum diabolo, non est pax*; nisi fortè neges Belial idem esse cum diabolo, conuentioné cum pace, Deum cum Christo. Pudeat ergo te illorum verborum; *Paulus eò loci ne syllabam vnam, nedum voculam protulit, quæ ad propositi confirmationem faciat.* Protulit enim Paulus eo loco, integram authoris propositionem, si non verbis, sed sensu eandem. Paruané est hæc ex verbis Pauli confirmatio? Sed obijcis; Paulum non agere eo loco de quouis cõmercio fidelium cum infidelibus, sed solùm de commercio & societate morum & impietatis. Hanc enim vim habere censes illa eius verba; *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* De hac tua expositione verborum Apostoli, pòst videro: Illud nunc à te peto; Num negare audeas, vnam & eandem propositionem vniuersalem, valere ad multas particulares conclusiones deducendas & probandas? Non arbitror te adeò Logices esse rudem. Quidni ergo liceuit hanc propositionem vniuersalem Apostoli; *Quæ conuentio Christi ad Belial*, quæ eadem est cum illa: Nulla est pax seu conuentio Dei cum Belial; ad vnam conclusionem particularem ab Apostolo, ad alteram persimilem, deducendam & probandam à quopiam alio adhiberi? Quod fecit author quem tu impugnas, qui propositione illa vsus est ad probandum, Pacem seu conuentionem Confœderationis non esse pacé. Qui si ad hunc finem perperam propositionem illam adhibuit, id non aliunde facilius perspicitur, quàm si consideretur Minor Propositio, quam illi Maiori subiunxit. Hæc enim si Maiori rectè & verè subiungi non potest, bene dicitur, totam rationem seu argumentationem, parùm in se solidi habere.

Videamus ergo Minorem Propositionem, quam author subiunxit. Ea est huiusmodi: *Pax Confæderationis, est pax Dei cum diabolo.* quæ ab authore, hoc Enthymemate probata est: *Fides vera spectat ad Christum vt auctorem; perfidia & hæresis, spectat ad diabolum vt auctorem: ergo perfidiam velle cum fide, fir-*

fide, firma pace copulare, est velle diabolum cum Deo, firma pace coniungere; quod fieri non potest. Quid tibi Pacate, in hoc Enthymemate displicet? Num Antecedēs eius? Non puto. Nam Consequens vltrò admittis, dicens: *Impossibile fatemur non inuiti, perfidiam & hæresim cum vera fide, firma pace copulari.* Si hoc admittis, cane nolens palynodiam: Reuoca quod dixisti; Rationem Authoris, parùm in se solidi, parùm sani habere. Necesse est enim illam rationem & solidam & sanam esse, cuius omnes propositiones aduersarius ipse non inuitus admittit. Quin ergo das manus, Pacate? Quin herbā porrigis? Respondes, ne obmutuisse videaris: Rationem illam totam nihil omnino contra Confœderationem facere; ac proinde nec firmam esse, nec sanam. Cur ita? *quia* inquis, *Author inter pacem Dei internam & conscientiæ, & inter politicam externamq; non distinxit, & finem Confœderationis non attendit.* Iusta exceptio, si vera: sed veram non esse ostendo. Author scripti illius probè intellexit, cùm agitur de pace Confœderationis in religione, non de interna conscientiæ, sed de politica externa pace tractari. Quî enim hoc non intelligeret, quod ita perspicuum est, vt à nemine possit non intelligi? Nemo enim tam rudis & hebes est, quin intelligat eos qui Confœderationis sunt fautores & propugnatores, id vnum dare operam, vt in vna politia hæretici cum Catholicis, pacatè & tranquillè res suas agant, conuenticula & cœtus habeant, religionem quam colunt, palam & liberè sine vllo legum & magistratuum metu profiteantur? Hoc ergo nimis quàm probè Author intellexit; & iccirco pacem huiusmodi, veram non esse conatus est ostendere, hac ratione; *Quia pax Dei cum diabolo, non est pax*, siue illa sit politica, siue alterius rationis; quia nulla est conuentio Christi ad Belial: si nulla, ergo nec politica. Qui ergo hæreticos cum Catholicis vult in vna politia, firma pace politica externa copulare; nihil aliud vult & conatur, quàm conuentionem aliquam Christi ad Belial efficere, quod fieri posse disertis verbis negat Apostolus. Nam hæresis au-

Concedit etiam minorem eiusdē.

resis author est Belial, veræ fidei Christus. Et quia Belial, nunquam desinet esse Belial, quantumuis qui eum sectantur hæretici, certis legibus & pactis cum Catholicis fœderentur; nihilominus Belial non desinet suum negotium agere, Christum impugnare, & Catholicam fidem, atq; adeò pacem politicam per suos ministros euertere conari. Certè cuiuis ministro Belial, quales sunt hæreticorum Ministri; etiamsi inter eos & Catholicos, fœdus politicum intercedat, semper obijci poterit illud, quod S. Paulus obiecit Elymæ

Act: 13. v. 10. mago: *Fili diaboli, non desinis subuertere vias Domini rectas.* Eadem enim ratione quiuis Minister hæreticus, præsidio Cõfœderationis fultus & protectus, non desinet palam, liberè, nemine prohibente, subuertere vias Domini rectas. Quo conatu, omnis vera politica pax, funditus euertitur, quæ sine consensu in vnam fidem & religionem, salua & incolumis non potest consistere. Vana ergo sunt illa, quamuis speciosa quæ à te scribuntur: *Pacem quantum in nobis est sectari cupimus, non vt aduersa pars vi aut dolo opprimatur, aut inuita nostram confessionem approbare cogatur, sed vt liberius & securius secundùm nostram conscientiam Deum colamus, pro Regis & regni salute vota fundamus, &c.* O Pacate, latet anguis in herba: Timeo Danaos & dona ferentes. Scis quî metuam, ne in hoc poculo melle illito, venenum præsens propines? Caussam dabo. Est quoddam hominum genus, quod Dauid describit, cui solenne est pacem loqui cum proximo, malum

Pax politica sine consensu fidei & religionis, non potest consistere.

Psal: 27. autem & perniciem agitare in pectore. *Qui loquuntur,* inquit, *pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Tales vt existimem esse Ministros præcipuè hæreticos, moueor au-

2. Tim: 3. thoritate Apostoli, qui tantò ante præuidens, quales nouissimis temporibus futuri essent hæretici, ait, eos fore sine affectione, sine pace, siue vt tu vocabulum Græcum ἀσπονδους impacatos vertis, Criminatores, &c. Necesse est igitur, vt ex his verbis Apostoli concludam, hæreticos præcipuè Ministros, cùm sint sine affectione, sine pace, criminatores, si pacem nihilominus verbis offerant, id vnum agere; vt pacem lo-

Hæretici sine affectione, sine pace.

cem loquantur cum proximo, mala autem ſint in cordibus eorum. Quàm firma ergo poterit eſſe politica pax Catholicorum cum hæreticis, ſi illi, & præcipuè Miniſtri, ingenium ſuum ab Apoſtolo deſcriptum retinebunt? ſi pergent eſſe homines ſine pace, ſine affectione, criminatores? Parce itaq; nobis, Pacate, quòd blandæ illi, & ad ſummam lenitatem & modeſtiam compoſitæ orationi tuæ non credimus, *Pacem quantum in nobis eſt ſectari cupimus. &c.* Deſinite priùs eſſe hæretici, hoc eſt homines ſine affectione, ſine pace, ſeu ſine fœdere, criminatores; & facile nobis perſuadebitis, vos quantum in vobis eſt pacem ſectari. Sin pergitis eſſe hæretici, date nobis veniam, ſi quantumuis millies repetatis, pacem vos cupere, pacem ſectari; pollicitationi veſtræ hæreticæ, præmoniti ab Apoſtolo, fidem nec habere poſſumus nec volumus.

CAPVT II.

Fœdus religionis Catholicorum cum Euangelicis natura ſua malum & illicitum eſſe.

SED aueo ſcire, Pacate, quid præterea Authori Pacis non pacis obijcias. Cenſes eum *grauiter impingere, quòd incredibile iudicet, in diuerſitate fidei pacem mutuam poſſe coli: Cùm* inquis, *pacem & fœdera inter diuerſæ religionis homines, olim inita ſeruataq; videamus; cur non & hodie idem fieri poſſe putemus?* Quo loco repetis ex Scriptura, exẽpla Abrahami, Iſaaci, Ioſue, qui cũ hominibus infidelibus fœdera pepigerunt, eaq́; ſanctè ſeruârunt. Memoras etiam Saulem & Sedechiam Reges, grauiter à Deo punitos, quòd fœdus cum Ethnicis licet initum, iuramentoq́; interpoſito firmatum rupiſſent. Erudita oratio, ſed nihil ad propoſitum. Licebit hoc loco mihi dicterium, quod immerito in aduerſarium tuum ieceras, in te conijcere: Mali coci more, Pacate, multa ſimul iura in vna olla permiſces. Culinarium quidem dicterium,

ſed quod bellè in te quadrat, præſertim ſi Miniſter es; quod hominum genus eſt culinarium, magnatum culinis admodùm deditum, & ad iuſcula fidem & doctrinam accommodans, guſtuiq; & palato Dominorum ſuorum ſeſe attemperans. Malus inquam es cocus, Pacate. Nam fœdera fidelium cum infidelibus, alia quàm religionis cauſa inita, cum fœderibus religionis, malè ne dicam fraudulenter permiſces. Quorum fœderum non eadem eſt, ſed diuerſa omninò ratio; nec ab vno ad aliud argumentando licet tranſilire, niſi vobis hæreticis, qui volentes eſſe Doctores non intelligitis, neq; quæ loquimini, neq; de quibus affirmetis: quod veſtri ſimilibus olim Apoſtolus obiecit. Cogis itaq; me, Pacate, paulò longiùs digredi, & de fœderibus cum infidelibus ineundis doctrinam altiùs repetere. Quod ideo libens facio, vt oſtendam nullum te hactenus in ſcriptura Confœderationi tuæ præſidium inueniſſe.

Fœdera fidelium cũ infidelibus duplicia.

1. Tim. 1.

Atq; vt à fœdere religionis, de quo ſolo inter nos eſt quæſtio, ſumam initium; dico Fœdus religionis Catholicorum cum hæreticis, ex natura ſua eſſe illicitum. Explico rem clariùs. Non eſt licitum abſolutè loquendo, Regibus, Principibus, Rebuſpub. Chriſtianis & Catholicis, ciuibus ſibi ſubditis libertatem religionis concedere; multò minùs de ea paciſci, aut eam fœdere & lege firmare. Intelligis opinor, Pacate, quàm perſpicuè meam eamq; Catholicam ſententiam expreſſerim. Quam per partes confirmare ſtatui. Dixi inprimis, non eſſe licitum abſolutè loquendo, Regibus, Principibus, Rebuſpub. Chriſtianis & Catholicis, ciuibus ſibi ſubditis libertatem religionis concedere. Eſt enim hæc libertas vel potiùs licentia, diuino iure prohibita. Cùm Iſraëlitis regna terræ Chanaan Deus pollliceretur, protinus edixit, vt falſorum Deorum aras, qui in illis regnis colebantur, deſtruerent; ſtatuas confringerent; lucos ſuccidirent. Idem mandatum diuinum repetitur in Deuter. *Aras*, inquit, *eorum ſubuertite, & confringite ſtatuas, lucoſq; ſuccidite, & ſculptilia comburite; quia populus ſanctus es Domino Deo tuo.*

Fœdus religionis Catholicorum cum hæreticis, ex natura rei eſt illicitum.

Libertas religionis diuino iure p̃hibita in veteri teſtamento.

Exodi 34.

Deu. 4. v. 5.

Et alibi:

Et alibi: *Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite.* Noluit itaq; Deus, vt in Palæstina, quam Israëlitæ possessuri erant, duæ diuersæ religiones ab incolis, Ethnica vna, Mosaica altera, retinerentur; sed illam penitus extirpari, hanc solam retineri voluit & propagari. Quæ lex diuina à sanctissimis Regibus obseruata, maximam illi genti felicitatem politicam & temporalem attulit. Nam quoties Iudæis in idololatriam prolapsis, Reges id vnum dabant operam, vt vnicus cultus veræ religionis restitueretur, idola euerterentur, luci succiderentur; toties nouam illi regno felicitatem & prosperitatem cœlitùs affulsisse, Regesq; ipsos hoc nomine, plurimùm commendatos esse in scriptura legimus. Qui verò Reges politico vt nunc vocant spiritu ducti, libertatem religionis fouebant, & ab aris & idolis de medio tollendis, manus abstinebant: hi & regno suo suisq; subditis damno fuerunt, & violatæ hac in parte legis diuinæ in scriptura sunt notati. Obseruauit hoc D. August: in ea Epist: quam de modo coercendi hæreticos, ad Bonifacium Comitem scripsit: *Temporibus*, inquit, *Prophetarum omnes Reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt, quæ contra præcepta Dei fuerant instituta, culpantur; & qui prohibuerunt & euerterunt, super aliorum merita laudantur.*

Deu: 13. v. 5.

Epist: 50.

Exemplis res fiet manifesta. Asa Rex Iuda *fecit rectum,* ait scriptura, *ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius, purgauitq; vniuersas sordes idolorum.* Et alibi: *Fecit quod bonum & placitum erat in conspectu Dei sui, & subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa, & confregit statuas, lucosq; succidit; & præcepit Iudæ, vt quæreret Dominum Deum Patrum suorum, & faceret legem & vniuersa mandata: Et abstulit de cunctis vrbibus Iuda aras, & fana: & regnauit in pace. Ædificauit quoq; vrbes munitas in Iuda, quia quietus erat, & nulla temporibus eius bella surrexerant, Domino largiente.* Ecce qua felicitate temporali, Deus remuneratus est pij Regis in vera vnica religione promouenda & conseruanda studium. Placet aliud exemplum ad idem institutum

3. Reg: 15.

2. Par: 14.

Asa rex Iuda pacificè regnauit, quia libertatem religionis non permisit.

tutum comprobandum afferre Iosaphat Regis Iuda. Exscribam ipsa scripturæ verba: *Fuit Dominus cum Iosaphat, quia ambulauit in vijs Dauid patris sui primis, & non sperauit in Baalim, sed in Deo patris sui: Confirmauitq; Dominus regnum in manu eius; & dedit omnis Iuda munera Iosaphat, factæq; sunt ei infinitæ diuitiæ, & multa gloria. Cumq; sumpsisset cor eius audaciam, propter vias Domini, etiam excelsa & lucos de Iuda abstulit.* Et nonnullis interpositis: *Itaq; factus est pauor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Iuda, nec audebant bellare contra Iosaphat. Sed & Philistæi Iosaphat munera deferebant, & vectigal argenti: Arabes quoq; adducebant pecora, &c. Creuit ergo Iosaphat, & magnificatus est vsq; in sublime, atq; ædificauit in Iuda domos ad instar turrium, vrbesq; muratas.* Vides, Pacate, vt Regem hunc ob vnam veram religionem restitutam, & propagatam, omni temporali & politica felicitate Deus abundè cumulârit? Porrò Salomon (vt alios prætercam) quàm contraria fortuna sit vsus, & quàm incredibilem calamitatem Regno suo pepererit, cùm Ethnicos ritus & ipse exercere cœpit, & vxores suas alienigenas exercere liberè permisit; eadem scriptura memorat. Nam & futuram illo mortuo regni ipsius diuisionem Deus denunciauit, ex qua ingentia mala postmodùm in populo Israëlitico sunt consecuta; & interim dum viueret, plures contra ipsum aduersarios, qui eum hostilibus incursionibus diuexarent, excitauit: hoc ipso demonstrans, fructum veræ religionis esse pacem Regnorum; dissidium verò religionis, dissidia & bella Regnis afferre. Illud etiam hoc loco præterire non possum, Israëlitas initio, tam inimicos libertatis religionis, & tam retinentes fidei & cultus à Mose præscripti fuisse; vt filijs Ruben, & filijs Gad, & dimidiæ tribus Manasse, qui iuxta Iordanem altare nouum excitauerant, bellum hoc nomine communi consilio inferre, & eam temeritatem, innouandi quippiam in vera & auita religione, sanguine fraterno expiare decreuerint. Res gesta refertur in lib: Iosue. Operæpretium autem est hic referre verba, quæ Israëlitæ reliqui præscripserant legatis, quos cū mandatis ad

2. Par: 17.

Iosaphat promotor vnius veræ religionis, quàm felix.

Salomon ob inuectū diuersæ religionis cultū infelix.

3. Reg: 11.

Fructus veræ Religionis, pax regnorum.

Israëlitæ initiò inimici libertatis & innouationis religionis.

Iosue 22.

datis ad noui altaris fabricatores miserant, antequã armis & bello certarent: *Hæc mandat omnis populus Domini. Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israël, ædificantes altare sacrilegum, & à cultu illius recedentes? Et vos hodie reliquistis Dominum, & cras in vniuersum Israël ira eius desæuiet. Quod si putatis immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram in qua tabernaculum Domini est, & habitate inter nos, tantum vt à Domino, & à nostro consortio non recedatis, ædificato altari, præter altare Domini Dei nostri.* Memorabile sanè & præ oculis habendũ exemplum, vetandi & prohibendi omnem religionis & cultus nouitatem & licentiam. Tribus illæ, Deo vero altare excitauerant, ea motæ ratione, quòd terra quam incolebãt, immunda esset, nec nisi cultu religioso & solenni, Deo adhibito expiari posse videretur: nihilominus ceteræ tribus ratæ nouitatem hanc, & ab aliorum consortio in rebus diuinis separationem, Deum ad iram prouocaturam, & cladem aliquam vniuerso populo allaturam; bello quamuis experiri, & scelus huiusmodi vindicare statuerant, parataeq; erant, fratres suos ad possessiones proprias inhabitandas admittere, agrisq; & vrbibus eis cedere, potiùs quàm vt se à societate aliorum in cultu religionis exercẽdo separarent. Quid tu, Pacate, sensisses, si in concilio piarum istarum tribuum adfuisses: rogatus sententiam quid dixisses? Censuisses libertatem religionis permittendam, neminem ab ea fide quam veram arbitratur prohibendum; nemini ius in alienam conscientiam vsurpandum; inimicos esse patriæ & pacis communis perturbatores, qui causa religionis arma sumere velint. Hæc profectò dixisses, & magna orationis & vocis contentione amplificasses. Sed an itum fuisset in tuam sententiam, tibi relinquo iudicandum.

Quod ad legem Noui Testamenti attinet, in ea quoq; libertatem fidei & religionis esse prohibitam, luce meridiana clariùs est. Nam non aliam ob causam Christus Dominus noster vnam tantum voluit habere Ecclesiam, vnũ ouile, & vnum pastorem; nisi vt vnitatem & consensum fi- *Libertas religionis in lege noua prohibita. Ioan. 10.*

dei commendaret, & licentiam quiduis pro cuiusq; arbitratu credendi omnibus auferret. Voluit præterea, vt fideles omnes à falsis prophetis diligenter sibi cauerent: non ergo censuit illis permittendum, vt sua dogmata liberè licéterq; in populo disseminarent. In Apocalypsi verò reprehendit Angelum Pergami, quòd haberet apud se aliquos tenentes doctrinam Nicolaitarum hæreticorum: & Angelum Thiatyræ, quòd Iezabel seruos Dei seducere permitteret. Atq; eadem fuit Apostolorum Domini nostri sententia. Paulus Apostolus rogat & obsecrat Corinthios his verbis: *Obsecrò vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* at quæ maiora possunt esse schismata, quàm in fidei & religionum diuersitate? Ephesios quoq; rogat, vt *soliciti sint seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Et rationem huius rei subiungit hisce verbis: *Vnum corpus, & vnus spiritus; sicuti vocati estis, in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnũ baptisma.* Quo loco Apostolus, inter alia vincula vnitatis Ephesiorum inter se, numerat vnam fidem, quæ certè in libertate religionum reperiri non potest. Hebræos quoque idem monet: *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.* Dixisset, Pacate, si fauere libertati religionis voluisset, Doctrinas varias & peregrinas spargi permittite, & quam vultis ex illis capessite.

Matth: 7. *Apoc: 2.* *1. Cor: 1.* *Ephes: 4.* *Hebr: 13.*

Nec verò alius vnquam fuit Ecclesiæ Catholicæ sensus, quàm is quem à Christo & Apostolis accepit. Quam enim aliam causam fuisse putas, cur ab initio nascentis Ecclesiæ, & omnibus deinceps temporibus, quàm primùm aliqua hęresis exorta esset, Synodi variæ, partim Prouinciales, partim Oecumenicæ cogerentur; anathema hæreticis diceretur, & à communione cœtuq; fidelium illi excluderentur; nisi vt hac ratione vnitas fidei & religionis in populo Christiano seruaretur, libertas & varietas impediretur? Quid etiam aliud impulit Christianos Imperatores, vt legibus, edictis, rescriptis, & pœnis hæreticos persequerētur; nisi quia ad officium suum censuerunt pertinere, omnem licentiam & vari-

Synodi ĩ Ecclesia Catholica habita cõtra libertatem Religionis.

Imperatores Christiani pii, libertatẽ religionis nõ ferebant.

& varietatem religionum è Repub. Christiana tollere, & vnam solam Catholicam fidem tueri & conseruare? Constantinus certè Magnus, etsi statim à suscepto Baptismo libertatem religionis omnibus permisit, quod de eo memoriæ prodidit Eusebius; tamen Nicæno Concilio, in quo causa hæresis Arianæ ventilata & cōdemnata est, peracto, quos in hæresi & schismate obstinatè permanere constabat, eos omnes à priuilegijs, Catholicæ fidei obseruatoribus concessis, alienos esse publico rescripto decreuit, ac diuersis oneribus obligauit. Sed & alio prolixiori edicto, quod Eusebius recitat, Nouatianis, Valentinianis, Marcionitis, Paulianis, Cataphrygibus, alijsq; cunctis vbiq; hæreticis, conuentus quocunq; modo, seu publicè, seu priuatim agere penitus interdixit, & in quibus eos celebrare consueuerant, ædes vniuersas dirui iussit; sicq; dirutas, quæ templa aliquando fuissent, Catholicæ reddi Ecclesiæ, reliqua verò loca publica, fisco addici præcepit. Hic si à S. Siluestro Papa, qui eũ sacro baptismate lustrauit, & Christianum fecit, edoctus fuisset, licitum esse vnicuiq; quam velit fidem amplecti, & à Regibus & magistratibus Christianis, eam libertatem esse vnicuiq; permittendam; nunquam eiusmodi legibus tam diuersos hæreticos, tamq; inter se dissentientes comprimẽdos sibi putasset. Constantinum Magnum secuti sunt alij Imperatores, quibus pietas & religio Catholica cordi fuit, qui id vnum enixè laborârunt, vt quàm maximè possent religionum libertatē in suis ditionibus impedirent. Audi Pacate, Gratiani, Valentiniani, & Theodosij Augustorum edictum: *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsq; nunc ab ipso insinuata declarat; quamq; Pontificem Damasum sequi claret; & Petrum Alexandrinũ virum Apostolicæ sanctitatis.* Et post pauca: *Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti; reliquos verò dementes vesanosq; iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, nec conciliabula eorum nomen accipere, diuina primùm vindi-*

Constantinus Mag.

lib: 10. c. 5. & lib: 2. vitae. 47.

l. 1. Cod. Theod. & Iustin: de hæret.

Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Augg.

Cod. Theod. l. 15. tit. 1. de fide Cathol.

Hæretici sunt qui cũ Pont. Romano in rebus fidei nõ sentiunt.

cta, pòst

cta, pòst etiam motus nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus, vltione plectendos. Expende quæso, Pacate, legem hanc, & singula eius verba diligenter examina. Animaduertes opinor, libertatem religionis in ea planè interdici: fidem Romanam cunctis amplectēdā præcipi: eam fidem dici Christianam & Catholicam, quæ est Romana, & Romani Antistitis: solos Christianos Catholicos appellandos, qui Romanam & Pontificis Romani fidem sequuntur; reliquos hæretici dogmatis infamiam sustinere, & tùm diuina, tùm humana vltione plectendos esse. O quàm dura hæc tibi tuisq; lex, quæ vos singulis penè verbis iugulat & conficit!

Per se loquēdo, nō licet de libertate religionis pactum vel fœdus inire cum hæreticis.

Venio ad alteram sententiæ propositæ partem, quæ est; Multò minùs licere, per se & absolutè loquendo, pacisci de libertate religionis, aut eam fœdere aliquo vel lege firmare. Apostolica hæc quoq; doctrina est. Ioannes Apostolus; *Si quis, ait, venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis.* Ex quibus verbis duplex conficio argumentum, forma syllogistica breuitatis & claritatis gratia conclusum. Primum est. Qui in domum recipiendus non est, nec Aue ei dicendum, cum hoc fœdus non est ineundum, in eo cuius causa non est in domum recipiendus, nec aue ei dicendum: Sed hæretici, seu qui Apostolicam doctrinam non afferunt, non sunt hac de causa in domum recipiendi, nec aue eis dicendum: Ergo nec fœdus vllum quoad hoc, cum eis est ineundum. Minor propositio est Apostoli: qui hæreticos eâ de causa, quòd doctrinam Apostolicam non afferunt, nec in domum recipere, nec salutare permittit. Maior etiam propositio, nullo negotio comprobatur. Quia fieri non potest, vt is cum quo fœdus est initum, nec sit in domum recipiendus, nec aue ei dicendum. Quale enim esset, hominem fœderatum, nec tecto recipere, nec vno verbo salutare? Ergo conclusio illata, bona & vera est. Alterum. Non licet in aliquibus hæreticorū operibus communicare; hoc enim pro absurdo & il-

In 2. epist. Ioan. v. 10.

1. quia non licet hæreticos recipere in domū nec Aue eis dicere.

2. quia fœdus

do & illicito habet Apoſtolus. Sed fœdus cum hæreticis de religione inire, eſt eorum malignis operibus communicare: Si enim eos ſalutare iudicio Apoſtoli, eſt eorum malignis operibus communicare; multò magis hæreſim corũ, fœdere firmare & ſtabilire. Ergo hoc prorſus non licet. Ioanni conſentit Paulus: Nã Romanis ſcribit in hunc modum: *Rogo vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.* Si hæretici ſunt obſeruandi, & ab eis declinandum; ergo non eſt cum eis fœdus vllum in negotio religionis feriendum. Quî enim declinandus eſt, ille & cauendus; cum quo fœdere aliquo ſis coniunctus? Idem Apoſtolus Galatis ſcribens optabat, vt hæretici Iudaizantes, qui eos diuerſitate doctrinæ turbabant, abſcinderentur: *Vtinam,* inquit, *& abſcindantur, qui vos conturbant.* Quod non ſolùm de excõmunicatione & ſeparatione à fidelium cœtu, ſed etiam de corporali præciſione, multi ex Patribus exponunt. Hinc tale ſumo argumentum. Quos cauſa religionis è numero fidelium eijci, imò etiam pœna corporali plecti optat Apoſtolus; cum his fœdus religionis non eſt ineundum: ſed hæreticos religionis cauſa, optat Apoſtolus è numero fideliũ eijci, imò etiam corporali pœna plecti: ergo non eſt cum eis in cauſa religionis fœdus vllum ineundum.

cum illis inire, eſt malignis corũ operibus cõmunicare.

Rom: 12.

3. quia ab hæreticis eſt declinãdũ.

Galat: 5.

4. quia hæreticos optat Apoſtolus abſcindi.

Sed placet præterea tuâ cauſa, quendam alium locum Apoſtoli expendere. *Nolite,* inquit, *iugum ducere cum infidelibus.* Quẽ tu locum tractans, aſſeris Apoſtolum non prohibere omne cum Ethnicis & infidelibus commercium; alioquin fuiſſet Corinthijs, de mundo exeundum, & à macello & cœnis Ethnicorum abſtinendum, quod tamen eis non imperauit Apoſtolus. Iugum ergo vetari ais, *morum, impietatis, malorumq́; operum participationis.* Accipio interim quod liberaliter das, Pacate. Fateor, non omne prorſus cõmercium fidelium cum infidelibus, illis verbis ab Apoſtolo interdici. Hoc enim præceptum illis temporibus impoſſibile ſeruatu fuiſſet Chriſtianis, vbiq; locorum cum Ethnicis,

2. Cor: 6.

in vrbibus & prouincijs permistis. Et verba ipsa Apostoli, mentem eius satis indicant. Non enim ait; Nolite versari, vel simul degere cum infidelibus; quod si dixisset, migrandum Corinthijs de mundo fuisset: sed ait; *Nolite iugum ducere*; quod præter conuictum, & in rebus omninò necessarijs communicationem, peculiarem aliquam societatem & amicitiam significat. Sicut si quispiam paterfamilias prohiberet boues plures in vnum iugum coniungi, non vetaret eos simul in aliquo prato pasci; sed ad agrum aliquem arãdum, vel onus aliquod iunctis ceruicibus deuehendum, prohiberet vno iugo copulari. Restat ergo videndum, quodnã iugum cũ infidelibus ducere, vetet Apostolus. Hîc tu grauissimus verborum Pauli interpres ais, id iugum esse morũ, impietatis, & malorum operum participationis. Nec istam ego interpretationem reijcio, quin potius ad meum institutum sic accommodo, & ex ea duo Syllogistica argumenta conficio. Primum. Si Apostolus vetat fidelibus, ne iugum morum & impietatis cum infidelibus ducant; proculdubiò vetat etiam, ne tale cum illis iugum ducant, ex quo periculum prauorum morum & impietatis ipsis immineat: Sed vetat Apostolus fidelibus primum; vetat igitur & secundum. Minorem admittes, quam tuam esse agnoscis. Maiorem sic confirmo: Qui societatem peccati cum aliquo vetat, censendus est etiam periculum peccati vetare. Quo enim præcepto prohibetur societas delicti, prohibetur etiã omne id quod in societatem delicti inducit. Nam facilis est in societatem delicti prolapsio, si non vitetur id, ex quo aliquis in delicti societaté facilè prolabitur. Iam verò iugũ Confœderationis, in negotio religionis cum infidelibus est tale, ex quo fidelibus periculum societatis morum & impietatis imminet. Nam infidelibus v.g. hæreticis, iugo Confœderationis cum Catholicis copulatis, licet sua sacra & cœtus publicè celebrare, Conciones ad populum habere, & vt tuis verbis vtar, *licet suæ causæ æquitatem, Catholicæ verò iniquitatem palam demonstrare; licet infirmos in fide assumere & confirmare.* At

9. quia iugo confœderationis cũ hæreticis inito incurrunt Catholici periculũ societatis morum ipsorũ.

vi. At hæc & similia, quis neget esse huiusmodi, ex quibus maximum Catholicis, morum & impietatis hæreticæ periculum immineat? Meministi illius Dauidis: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.* Et Deus ipse non aliam ob causam vetuit Israëlitis, ne cum Ethnicis connubia iungerent, quàm quia tale iugum, censuit esse iugum morum & impietatis Ethnicæ: non quòd qui ex Iudæis Ethnicam mulierem duxisset, hoc ipso Ethnicus euaderet; sed quòd se periculo morũ & impietatis Ethnicæ exponeret. *Vxorem,* inquit, *de filiabus eorum non accipies filijs tuis, ne fornicari faciant illos in Deos suos.* Quo loco non sunt prætermittenda illa grauissima Apostoli verba, quibus fideles à consuetudine & colloquio cum hæreticis habendo reuocat; eò quòd præsentissimum subuersionis fidei multorum periculum, vel hac vnica ratione incurri nouerat. *Profana,* inquit, *& vaniloquia deuita; multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit. Ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorundam fidem.* Aduerte animum, Pacate, & disce, quàm periculosum sit Catholicis, iugum Confœderationis cum hæreticis ducere, eorumq; propterea consuetudine & colloquio familiariter vti, & non rarò de fide disputationes cũ eis instituere. Nam profana hæreticorum dogmata, ad aures Catholicorum, per mutuam consuetudinem & sermonẽ delata, proficiunt ad impietatem; & eandem sæpè vim habent, habitæ simpliciorum Catholicorum cum ipsis verborum & argumentorum concertationes. Quod gliscente primùm hæresi Ariana, probatum est vsu ipso & experientia. *Nugæ namq;,* ait Eusebius, *& disputationes contentiosæ, veram pietatem, perfectamq; diuini numinis cognitionem peruerterunt.* Addit Apostolus, sermonem hæreticorum instar cancri serpere. Cuius similitudinis vim ita explicuit Primasius: *Cancer,* inquit, *vlcus est, quod in mamillis nascitur fœminarum, & nisi ei subitò fuerit subuentum, cùm ad cor serpendo peruenerit, nullũ vltra remedium est: Ita & hæreticorum sunt vitanda colloquia, ne*

Psal: 105.
Exod: 34.
2. Tim: 2.
Sermo cum hæreticis, et disputationes periculosæ Catholicis.
l. 8. hist. c. 5.
In 2. Tim: 2.

per aures irremediabiliter vulnerent mentem. Eleganter etiam ad cancri similitudinem alludens D. Hieronymus, naturam hæresis expressit his verbis : *Doctrina peruersa ab vno incipiens, vix duos aut tres primùm in exordio refert auditores : sed paulatim vt cancer serpit in corpore, & iuxta vulgare prouerbium ; vnius pecudis scabies, totum commaculat gregem.* Nemo igitur prudens negauerit, plenissimum esse periculi, Catholicis cũ hæreticis versari, aut exortam alicubi hæresim non confestim eos opprimere ; seu potius conniuendo & dissimulando, serpere instar cancri aut pestis permittere. Rectè aliquãdo monuit D. Hier. *Scintilla vbi apparuerit extinguenda est, & fermentum à massa vicina submouendum, secandæ putridæ carnes, & scabiosum pecus à caulis ouium repellendum ; ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant. Arius in Alexandria, vna scintilla fuit ; sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.* Nec dissimiliter Cyprianus : *Declinent de cætero fratres nostri fortiter, verba & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit, sicut Apostolus ait ; & nulla cum talibus commercia copulentur, nulla conuiuia, vel colloquia misceantur ; simusq; ab eis tàm separati, quàm sunt illi de Ecclesia profugi.* Nec immeritò. nam vt ait Scriptura : *A scintilla vna augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis.*

Ad Galat. ca. 5. ad illa verba, Modicum fermentum.

loco citato.

li. 3. epist. 3.

Eccli. 11.

6\. Alterum argumentum meum ex tua interpretatione conclusum, est tale. Iugum malorum operum participationis, fidelibus vetat Apostolus cum infidelibus, vt tibi placet : Sed iugum Confœderationis Catholicorũ cum hæreticis in negotio religionis, est iugum malorum operũ participationis : Ergo tale iugum vetat Catholicis Apostolus. Minorem argumenti sic probo : Consentire in hæresim, est in malo opere cum hæreticis participare ; hæresis enim est opus malum : Sed Catholici qui iugum Confœderationis in negotio religionis cum hæreticis sponte ducunt, per se loquendo in eorum hæresim consentiunt ; non quòd hæresim ipsam in se approbent, sed quòd illam tanquam pestem virulentam, in Repub. grassari liberè & impunè permittãt.

quia confœderatione fit, vt Catholici cõmunicent peccatis hæreticorum.

Nam vt

Nam vt Felix Papa ſcribens ad Acacium Epiſcopum Conſtant. ait: *Negligere cùm poſſis deturbare peruerſos, nihil eſt aliud quàm fouere: & non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui euidenter facinori deſinit obuiare.* Quare ſi Magiſtratus ille, qui quæuis alia grauiſſima ſcelera, quæ poſſet prohibere, ſineret impunè in Repub. ſerpere, cenſeretur iure optimo, in malo opere cum ipſis ſcelerum authoribus participare, quia in ſcelerum impunitatem, & liberam graſſationem conſentiret: idem ſentiendum eſt ſimilem ob cauſam de Catholicis, iugum Confœderationis in negotio fidei & religionis ducentibus. *Conſentire enim eſt,* ait Bernar. *ſilere cùm arguere poſſis.* *In ſerm: de Nat: S. Ioã.* Præclarè Chryſoſt: *Quemadmodum non ipſi tantùm fures dant pœnas, verùm etiam eadem pœna plectuntur ij, quibus cùm eſſet poteſtas vetandi, non vetuerunt tamẽ: ita non ſolùm qui impiè agunt, verùm etiam illi qui cùm poſſint ab impietate reuocare, tamen vel ob pigritiã, vel ob timiditatẽ id facere nolunt, ſimili cum illis pœna plectuntur.* *Orat: 1. cõt: Iudæos.* At cur iſti ſimili pœna plectantur? non aliam ob cauſam, quàm quia vt verbis Apoſtoli vtar, *conſentiunt facientibus.* *Rom: 1.* & quia D. Leone authore, *ſicut in mala ſuaſione delinquitur; ita & in mala conſenſione peccatur.* *Epiſt: 71.* Quod ſi qui iubet ſcelus aliquod patrari, participat in ſcelere cùm eo, qui patrat; ſanè participat & ille, qui cùm prohibere poſſit non prohibet. Videtur enim tacitè iubere, & ad crimen impellere: tales autem ſunt, qui fœdus religionis cum hæreticis ineunt. Nam non ſolùm hæreſim non prohibent, ſed etiã ad illam non prohibendam ſeipſos obligant; quod eſt peſſimum (niſi grauiſſima excuſet neceſſitas) participationis mali alterius genus. Vides, Pacate, quàm illa tua verborum Apoſtoli interpretatione, tibi & tuæ Confœderationi imprudens nocueris: ſimul & illud intelligis, nomine iugi ſignificari ab Apoſtolo, peculiare aliquod fœdus, & coniũctionem fidelium cum infidelibus; quale fœdus eſt Confœderationis in religionis negotio.

7. *quia Apoſtolus vetat ducere iugum ſeu cõfœderationẽ religionis cum infidelibus.*

Quid enim eſt aliud fœdus, quam iugum? Nam ſicut iugum duos boues, ita fœdus, partes duas inter ſe fœderatas

coniungit. Quod si vis vocabuli Græci, quo Apostolus vtitur, expendatur, id longè clariùs euadet. Ait enim, μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες; quod verti sic potest: Nolite diuersum seu dispar iugum ducere. Dispar autem iugum est, in quo homines diuersæ conditionis iunguntur; sicut bouis & asini, dispar iugum esset, si illo simul copularētur. Iam verò nec tu ipse, Pacate, negabis, dispares inter se Catholicos esse cū hæreticis, quod ad religionem attinet: non ergo in religionis negotio iugum dispar secum ducere, si Apostolum audiant, debent. Hoc autem sine dubio ducerent, si fœdus in-

8. *quia ea ratione Catholici promouent hæresim.* ter se de libertate religionis firmarent. Nam ea ratione hæreticos Catholici in ipsorum hæresi promouenda plurimùm iuuarent; sicut vnum iumentum ab altero sibi eodem iugo deuincto, in onere aliquo ferendo, vel opere rustico exercendo iuuatur. Nemini enim dubium esse potest, promoueri & adiuuari hæresim, si ei conuentus publici, leges firma stabiliq; concedantur: si se in templa luce palam magno comitatu & frequentia inferat: si libros perniciosis erroribus infectos scribat & spargat: siq; cursus eius & propagatio, nulla debeat potestate & authoritate quamuis legitima impediri. Si verò huiusmodi fauoribus & officijs hæresim prosequi, non est ei patrocinari; quid sit aliud hæresi patrocinari, non satis intelligi potest. Sanè cuiusq; prudentis iudicio, non docendo & scribendo solùm adiuuatur hæresis, quod Ministri faciunt: nec solùm in errorem alios cohortatione & blandicijs alliciendo, quod etiam vulgus hæreticorum facere nouit; sed iuuatur etiam & promouetur, si metu pœnarum soluatur, si liberè in templis & pulpitis sese venditare rudi plebeculæ permittatur, si fœdere publico à magistratuum & iudicum seueritate protegatur. Quis enim non videat, impunitate ali scelera, confirmari, & propagari? Ex dictis ergo satis opinor intelligitur, natura sua illicitum esse fœdus, quod in negotio religionis, Catholicis cum hæreticis intercederet.

CAPVT

CAPVT III.

Expenduntur verba Apostoli, quæ pro pace Confœderationis Pacatus adducit.

SED Pacatum audio, quid pro se afferat: *Pacem*, ait, *mutuam colere debent Christiani, nec dissensionis ipsi causam vllam præbere. Nam Apostolus cum omnibus hominibus, si fieri potest, quantum in nobis est, in pace nos viuere præcipit.* Agnosco Apostoli verba, quæ sunt huiusmodi: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cũ omnibus hominibus pacem habentes.* Ex quibus Pacatus effici vult, fœdus Confœderationis iubente Apostolo, cum hæreticis esse sanciendum, & pacem lege publica firmandam. Certè si tale præceptum Apostoli extat alicubi, Pacate, vicisti: In his certè verbis illud extare, nemo sanus hactenus intellexit. Sed age, sit hoc loco præceptum Apostoli, de pace Catholicorum cum hæreticis causa religionis constituenda: par est profectò, vt vos quoq; qui vobis Euangelicorum nomen arrogatis, huic præcepto quàm promptissimè pareatis. Putate ergo vobis ab Apostolo dictum: Pacem ô Euangelici, quod ex vobis est, cum Catholicis habetote, nullamq; dissensionis vllius, aut querelarum, occasionem eis præbetote; ab omni quoq; prorsus aduersus eos iniuria abstinete. Putatisné vos hactenus huic Apostolico præcepto paruisse? nullané hactenus dissensionum aut querelarũ à vobis occasio Catholicis est præbita? num ab omni qua eos violaretis iniuria abstinuistis? Id quidem bona fide affirmare neutiquam potestis. Nam dissentire vos à Catholicis, & in religione dissidere, nec ipsi diffitemini; atq; ideò dissidium hoc, fœdere nescio quo pacari & conciliari cupitis. At quis rogo, huius dissensionis author est? num vos à Catholicis, vel Catholici à vobis desciuerunt? Desciuisse vos à nobis, res ipsa loquitur, & vos perperam licet gloriamini. Nam qui primi discessionis vestræ authores fuerunt, Lutherus sci-

Rom: 12. v. 18.

Euangelici quod ex ipsis est, pacẽ cum Catholicis hactenus non coluerunt.

1. nam ab illis in religione desciuerũt.

rus ſcilicet, Caluinus, & alij, Catholicam aliquando fidem in Eccleſia Romana ſunt profeſſi. Itaq; veſtra à nobis diſceſſione, diſſidij in religione quod nunc viget, eſtis authores.

2. *præbuerũt illis querelarum occaſionem.* Iam verò iuſtiſſimas de vobis querendi cauſas habẽt Catholici, quòd maiorum veſtrorum in Deum fidem & religionem deſeruiſtis; quòd pacem religionis in hoc florentiſſimo Regno, ſexcentis propè annis continuatam & propagatam, hæreticis & multis retro ſeculis, ab vniuerſa Eccleſia damnatis erroribus perturbaſtis; quòd innumeras hominum myriades, à Catholica veritate abductas, in tot hæreſum nocentiſſimarum præcipitia proturbaſtis, & æternis ſupplicijs inferorũ addixiſtis. De inimicitiis quibus à vobis

3. *iniuriis illos grauiſſimis affecerunt.* Catholici affecti ſunt, longum eſſet dicere. Quot Eccleſias polluiſtis, & in profanos vſus conuertiſtis? quot legitimis poſſeſſoribus ereptas, per ſummam iniuriam vobis vendicaſtis? quot altaria euertiſtis? quot imagines ſacras temeraſtis? quàm multis Eccleſias poſſeſſionibus & prædijs, auro argentoq;, & ſacra ſuppellectili exuiſtis? Hocné eſt pacẽ, quod ex vobis, cum Catholicis habere; & non potiùs pacẽ omnem & tranquillitatem publicam è medio tollere, & inteſtinorum odiorum & diſſidiorum materiam perpetuò miniſtrare, alere, fouere?

Reſpondebis, Pacate, Paulum dixiſſe, ſi fieri poteſt pacem eſſe cum omnibus habendam; fieri autem à vobis aliter non potuiſſe, quàm vt ea qua dixi ratione, pacem noſtrã perturbaretis; quin potiùs ea quæ feciſtis, pro veſtra conſcientia & fide, à vobis eſſe patrata, voſq; adeò accuſari à nobis, Paulini præcepti violatores non debere. Sed quid ſi ego eandem reſponſionem in te tuoſque, Pacate, retorquebo, & Catholicos meos illa eadem Paulina exceptione, ab eiuſdem præcepti violatione, & quidem multò iuſtiùs defendam? Vis vt Catholici, quod ex ipſis eſt, pacem vobiſcum habeant, hoc eſt, religionis fœdere vobiſcum iungantur? Sed meminiſſe debes, Apoſtolum adieciſſe illam exceptionem; *Si fieri poteſt*: Catholicos autem optimo iure exiſtima

existimare, fœdus hoc vobiscum in causa religionis, se facere non posse, atq; ideo concessa sibi ab Apostolo exceptione vti. Cur autem existiment fœdus hoc numerari in illis quæ fieri non possunt, causam accipe: Quia quæ licitè fieri non possunt, iure optimo Catholici fieri non posse existimant, eo modo quo castissimus adolescens Ioseph, ab impudica domina de stupro sollicitatus dicebat: *Quomodo possum hoc malum facere?* non posse autem licitè fieri, vt Catholici libertatem religionis cuiuis permittant, multò minùs autem, vt eam fœdere & lege stabiliant; superiori capite est demonstratum. Et ne mirum tibi fortasse videatur, exceptionem ab Apostolo positam, ad causam hæresis pertinere, profero complures grauissimos eius interpretes, qui commentarijs suis dicta verba illustrantes, disertè annotârunt, particula illa, *si fieri potest,* causam hæresis excipi. Audi Ambrosium: *Si irreuerens & blasphemus quis sit, & pacem cum illo habere non possis, non vtiq; tibi adscribendum erit; quia Ioannes Apostolus illos, qui negant in carne Christum venisse, nec salutari permisit.* Vides vt causam hæresis excipiat? Nam Ioannes Apostolus hæreticos salutari à Catholicis noluit. Chrysost: verò ita disserit. *Bene quod velit, Apostolus declarat, dicens; Si fieri potest, quantum in vobis est. Contraxit enim subinde, vt possibile non sit, nimirum quando de pietate sermo est.* Et paucis interiectis: *Quod dicit Apostolus, tale est: Quæ tui sunt officij præsta, nemini dans ansam seu belli, seu dissidij. Si verò alicubi pietatem labefactari videris, ne præponas concordiam veritati, sed generosè persistas ad mortem vsq;.* Nota, Pacate. Chrysostomum sequitur Theophyl. *Nonnunquam,* inquit, *fieri non potest, vt pacem quispiam complectatur, cùm de pietate certamen fuerit.* Ait igitur: *Quod tui est officij facias, nec cuiquam occasionem præbeas bellorum vel tumultuum. Sin pietatem debellari impugnariq; conspexeris, fortiter consiste pro veritate dimicans, non homini quidem infensus, sed impietati: illum ipsum miserens, ipsamq; duntaxat impugnans.* Horũ itaq; Doctorum, imò Apostoli ipsius sententiam secuti Catholici, rectè existimant sibi integrum non esse pacem religionis vo-

Gen: 39.

Pax ex sententia Apostoli, cum omnibus habenda, excepta causa pietatis & religionis.

In cõment.

gionis vobiscum colere. Nam quia pietatem seu religionem per vos labefactari & conuelli intelligunt, nolunt præponere concordiam seu Confœderationem veritati. Qua in re, nõ vobis infensi sunt, quos fratrum & ciuium loco ducunt; sed hæresi, quam cane peius & angue oderunt: & vos quidẽ ipsos, vt in fraudem inductos, deq; salute æterna periclitantes miserantur; hæresim verò nocentissimam animorum vestrorum pestem detestantur.

Atq; hic fuit semper veterum quoq; grauissimorum Ecclesiæ Pastorum, Romanorum Pontificum sensus, qui quoties nouas hæreses exortas pullulare, vel etiam actis per dissimulationem Principum & Magistratuum altiùs radicibus, crescere & propagari viderunt; adeò vt etiam quietum & tranquillum Reipubl. statum perturbarent, cædibusq; & grassationibus, & alijs iniurijs (quod hæresibus familiare est) omnia permiscerent: Imperatores ipsos, qui tũ rerum potiebantur, interpellandos monendosq; sibi censuerunt, vt pacem Ecclesiæ & Reipub. pro muneris sui ratione redderent. Cæterum hanc pacem in eo sitam esse iudicârunt, vt hæresum Magistri; procul vrbibus, & Catholicorũ consuetudine submouerentur, ne doctrinæ suæ perniciosis zizanijs agrum Dominicum opplerent, & synceram multorum fidem corrumperent; reliqui autem qui ab eis in errorem inducti essent, ad veritatem & maiorum fidem redirent, & propositæ sibi à Rom. Pont. fidei formulæ subscriberent: de pace verò eiusmodi, quæ libertatem credendi cuiq; pro arbitratu concederet, nunquam grauissimis illis & prudentissimis, & tranquillandæ Reipubl. peritissimis Pontificibus in mentem venit. Vnum ex tanto numero proferam Hormisdam Pont. qui eo tempore gubernacula tenuit Ecclesiæ, quo Nestoriani & Eutychiani, dissimulante atq; adeò fauente Anastasio Imperat. Orientem non magis dogmatum impietate, quàm cædium immanitate, grauissimè perturbabant. Is ergo de pace tam Ecclesiæ, quàm Imperij solicitus, ad eundem Imp. literas dedit, ex quibus hæc pauca ex-

In quo sita pax Ecclesiæ.

Vide Baron. A. D. XLI.

pauca excerpta : *Benedicimus Deum, cuius zelo pietas vestra transgressores impios, Nestorium & Eutychetem persequitur: & probat odisse se vitia, qui condemnat errantes: nec relinquit sibi locum deuiandi, qui non pepercerit excedenti. Primus innocentiæ gradus est, odisse culpanda. Sed veritatis interest, Domine fili, & Catholicæ disciplinæ, vt sectatores etiam eorum, atq; participes oderitis, quorum execrandos principes iudicatis. Nihil magis vitia, quàm imitatio fouet, dum creduntur non improbanda esse, ad quæ alij quoq; videntur accedere. Latum pandit delinquentibus aditum, qui iungit cum improbitate consensum: & dum malè nutriti fouentur errores, prauorũ consensus, per impunitatem sequacium, mala dogmata multiplicauit auctorum. Sed cogitandum est, clementissime Imperator, si ei apud Deum sufficiat errata culpasse, cui dedit posse corrigere. Non est differenda curatio: admoueantur medicæ profundis vulneribus manus. Respicite quantas iam partes emendatio neglecta polluerit. Quousq; pateris, Domine fili, Ecclesiam Dei diuisionem suorum mœrere membrorum? Assume tibi curam, & vexillum salutis attollens, in errores ab Israële remouendos, velut Ezechias alter exurge. Fas tibi laude nouorum operum, titulos æquare priscorum: Ille dissipauit excelsa; tu superbiam erectæ prauitatis inclina. In aperto est, quanta sit expectatio fidelium, quanta trepidatio perfidorum. Illi ambiunt gaudere cum Angelis de receptis; isti metuunt, ne ab his quos deceperant destituti, pœnis remaneant præparatis.* Non potuit quicquam ad meum institutum dici expressiùs, vel accommodatiùs: Nimirum sapientissimus hic Pontifex rectissimè iudicauit, pati hæreses, nec ad illas extirpandas manum admouere; nihil aliud esse quàm iungere cum improbitate consensum, & ei latum aditum pandere. Intellexit & illud, non satis esse apud Deum ijs, qui Rempub. administrant, errata culpare, nisi & corrigere pro virili dent operam. Quod velim altiùs in pectus demittant nostri Catholici, qui se Deo officioq; suo putant abundè satisfacturos, si damnent hæreses & toto pectore auersentur, nec interim ad earum repressionem & extirpationem, operam studiumq; suum quod possunt conferant.

Exhortatio Hormisdæ Pont. scripta Anastasio Imp. de Ecclesia hæresibus purganda.

NOTENT CATHOLICI.

Non sufficit apud Deum culpare errata ei, cui Deus dedit posse corrigere.

Baron. An. D. 508. In eandem sententiam idem Pontifex scripsit Iustino Imperat. recens ad imperium prouecto: *Superest*, inquit, *vt à Deo electi, Ecclesiæ quam laborare cernitis, manus vestræ solatia porrigatis. Cessent qui paci eius obsistunt; obmutescant qui in forma pastorum conantur gregem Christi disperdere. Istorum correctio vires vestri firmat imperij; quia vbi Deus rectè colitur, aduersitas non habet effectum.* En quid sapientissimus iste Pontifex, ad restituendam non solùm Ecclesiasticam, sed etiam politicā imperio pacem, faciendum censuerit. Non ille veritus est, ne quis hæreticorum ei occineret; Pacem ex Apostoli præcepto, cum omnibus habendam esse. Non erat nescius, qualem Apostolus pacem sectari, & cum omnibus colere fideles cuperet. Lege quæ idem scripserit ad Ioannem Constantinopol. Episcopum: *Nobis vna solicitudo, vna custodia est, ita pacem cupere, vt sic religionis, sic venerabilium Patrum constituta seruentur. Pax integra, nescit aliquam habere distantiam: & vnius Dei vera esse non potest, nisi in confessionis vnitate cultura.* Dignam tali Pontifice sententiam. Pax enim vera nititur animorum vnitate, quæ in religionis & fidei diuersitate reperiri nullatenus potest. Habes, Pacate, explicata Apostoli verba, in quibus te putabas magnum Confœderationi tuæ præsidium reperisse, sed opinio te fefellit. Ad horam exultasti, ad breue tempus laruam probabilitatis alicuius induisti. Nunc ea tibi detracta, expecto quid prætereà in medium ad tuæ causæ confirmationem proferas.

Correctio hæreticorū, vires firmat Regnorum.

Baron. An. D. 519.

Nota

CAPVT IV.

Soluitur argumentum Pacati, de coniugio fidelium cum infidelibus.

PERGIS, Pacate, ruinosam Confœderationis tuæ labentemq; fabricam fulcire qua potes ratione, & sustentare: *Paulus*, ais, *connubia cum infidelibus contrahi non prohibet, nec contracta dirimit.* Ex quo concludere niteris, fœdera connubijs

nubijs similia cum infidelibus inire licere. At quî probas, Pacate, connubia cum infidelibus, ab Apôstolo non prohiberi? Num apud te idem est, affirmare aliquid & probare? Non es Apollo, vt tibi veluti ex tripode quod placet affirmanti, sine vlla probatione, mox fidem habeamus. Vide autem, quàm ego non difficulter contrarium ostendam, nimirum connubia fidelium cum infidelibus esse vetita ab Apostolo, idq; illis verbis, quæ cap: 2. fusè tractaui: *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Et quidem D. Hieron: contra Iouinian. & alibi, D. quoq; Cyprianus, docent ex mente Apostoli, iugum hoc esse propriè connubij. Quod ipsum nomen satis perspicuè significare videtur. Connubium enim seu coniugium est iugum, imò connubij nomen à iugo tractum est. Quod si verbum hoc iugi, de quouis communiter arcto & peculiari commercio cum infidelibus accipiamus; nulli dubium est iugum etiam connubij in eo comprehendi, in quo arctissima & maxima viro cum muliere familiaritas & coniunctio intercedit. Nam nec illud huic causæ aduersatur, quin potiùs eam adiuuat, quod tu nomine iugi, morum hoc loco & impietatis iugum intellexeris. Facile enim est, vt coniunx fidelis iunctus infideli, præter iugum connubij, morum etiam & impietatis iugum simul ferat. Quæ ratio fuit, vt Deus ipse Iudæis, Ethnicorum connubijs interdixerit; *quia seducet*, inquit, *vxor infidelis filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat Dijs alienis.* Sed præter hæc Apostoli verba, non desunt alia, ex quibus liquidò constat, Matrimonia fideliùm cum infidelibus, ab eo probata non esse. *Mulier*, ait, *si dormierit vir eius, libera est; cui vult nubat, tantùm in Domino.* Quo loco moderationem illam, *tantùm in Domino*, Tertullianus adiectam esse censet, ad excludendos à connubijs fidelium infideles. *Et illa*, inquit, *nuptura, in Domino habet nubere; id est non Ethnico, sed fratri: quia & vetus lex adimit coniugium allophylorum.* Hæc eadem interpretatio placuit Cypriano in lib. ad Quirinum, & in sermone de lapsis, vbi ait: *Iungere cum infidelibus vinculum matrimonij, prosti-*

Apostolus vetuit connubia fidelium cum infidelibus.

2. Cor: 6.

lib. 1 c. 5. & in epist: ad Geront.

lib. 3 ad Quirin. c. 6.

Deu: 7.

1. Cor: 7.

lib. de Monog. c. 7.

lib. 1. de adult: coniug. c. 21.

nij, prostituere gẽtibus mẽbra Christi, nefas est. Diuus quoq; Aug: meminit huius interpretationis Cypr. *Beatissimus*, inquit, *Cyprian: inde*, hoc est ex illis verbis Apostoli, *Tantùm in Domine, non in leuibus peccatis constituit, iungere cum infidelibus vinculum matrimonij; atq; id esse dicit, prostituere gentibus membra Christi.* Et ipsemet eandem interpretationem admittit: *Cui vult*, inquit, *nubat, tantùm in Domino. Quod duobus modis accipi potest, aut Christiana permanens, aut Christiano nubens.* Eundem sensum verbis prædictis Apostoli inesse sensit Pollentius apud August. loco citato. Ambrosius quoq;, Theodoret: Theophyl: Anselm: Sedul. D. Thom; in eandem sententiam verba illa sunt interpretati. Quorum commentarios, si, Pacate, legere voluisses, non ita fidenter & temerè pronunciasses, Paulũ cõnubia cũ infidelibus contrahi nõ prohibere.

An autem huiusmodi matrimonia contracta dirimat Apostolus, alia quæstio est, nec huius loci, quam iccirco prudens non attingo. Illud vnum te breuiter moneo, plures esse causas, ob quas matrimonia inter certas personas, ab Ecclesia sunt prohibita: quæ tamen si contra leges Ecclesiæ ineantur, ab eadem non dirimuntur. Qui tamen matrimonijs talibus se implicant, & leges Ecclesiasticas flocci faciũt, non leui peccato se obstringunt. Hoc in numero sunt matrimonia Catholicorum cum hæreticis contracta; quæ quidem Ecclesia non reddit irrita, etsi quominus contrahantur, grauiter in pluribus concilijs, repetitis legibus cauit, vt videre est in Concil; Generali Chalced: Elibertino, Laodiceno, Carthaginensi tertio, & Agathensi. Cuius prohibitionis iustissimas fuisse causas, nemo sanus negauerit, qui eiusmodi matrimonia esse periculosissima, & plurimorum malorum ansam præbere cogitauerit. Nam quod de coniugio fidelis cum infideli scripsit alicubi Tertul. id etiam in coniugio cum hæretico contracto locum habet: *Domino*, inquit, *non potest*, vxor scilicet fidelis, *pro disciplina satisfacere, habens in latere, diaboli seruum, procuratorem domini sui ad impedienda fidelium studia & officia. Vt si statio facienda est, maritus de die*

Ecclesia prohibuit matrimonia Catholicorum cũ hæreticis.

lib. 2. ad vxorem.

condicat ad balneas; si ieiunia obseruanda sunt, maritus eadem die conuiuia exerceat; si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adueniet. Præclarè itaq; D. Ambr. *Caue,* inquit, *Christiane, alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua, vxorem accersas tibi: Cum sancto, sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Si hoc in alijs, quantò magis in coniugio, vbi vna caro & vnus spiritus est. Quomodo autem potest congruere caritas, si discrepet fides?* Et paulò post: *Sæpè illecebra mulieris, decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem caue. Primùm ergo in coniugio religio quæritur.*

lib. 1. de Abrah. c. 9.

Non potest congruere caritas, si discrepet fides.

Primum in coniugio Religio quæritur.

Quod si tu, Pacate, hoc nomine Catholicæ succenses Ecclesiæ, quòd hæreticorum cum Catholicis coniugia seuerè prohibuerit; at saltem magistrorum tuorum sententiam probabis, qui suos proselytos à Catholicorum coniugijs perquàm studiosè reuocant. Hoc egit Vthingerus Schmalkaldicus Minister, aliquot epistolis ad Francones hoc argumento scriptis. Georgius quoq; Mullerus, simile quid suis Augustanis præscripsit. Extat etiam Caluini de vitandis superstitionibus libellus, & ad Pseudonicodemos alius, quorum vtriq; Melanchtonis, Buceri, Petri Martyris, Tigurinorum, eadem de re consilia & epistolæ sunt adiunctæ. Denique Albericus Gentilis in Anglia Iurisco s. Caluinianus, ita consulit vel potiùs edicit: *Matrimonium est diuini iuris communicatio, quoniam communicare debent coniuges in Verbo eodem & eisdem Sacramentis. Est societas diuinæ domus: nam eadem vtriq; debet esse Ecclesia.* Et post pauca: *Dico autem palam; Non licet nobis commiscere coniugia cum Papistis, qui nobis sunt Antichristiani.* O quàm dura huius Caluiniani Iuriscos. lex, cum insigni contumelia in Catholicos coniuncta. Similem legē præscripsit Iacobus Rex Angliæ Henrico filio suo, quem in Basilico doro sic alloquitur: *Quî fieri possit, vt tu & vxor tua, vna caro sitis, & vnionem plusquam Platonicam illam Mosiadem excolatis; & tamen duabus Ecclesiis oppositis quasi membra vosmet subijciatis. Discrepans religio, discrepantes semper mores secum introducit: & dissensio vestrorum Theologorum, discordiam etiam in populo gignet.*

lib: 2. de nupt. c. 19.

gnet. tùm verò ne malè educentur liberi veſtri, imminet periculum. Hæc Angliæ Rex. Neque tamen connubia cum hæreticis ita prohibet Eccleſia, vt nulla vnquam ratione illa contrahere permittat. Nam ſi coniunx hæreticus Catholicũ ſe futurum bona fide polliceatur, poteſt permiſſu Eccleſiæ nuptias cum Catholico celebrare. *Non oportet,* inquit Concil: Agatenſe, *cum hominibus hæreticis miſcere connubia, & vel filios vel filias dare, ſed potiùs accipere, ſi tamen ſe profiteantur Chriſtianos eſſe futuros atq; Catholicos.* Itaque neque hoc argumentum à coniugio cum infidelibus petitum, quicquam tuam cauſam iuuat, Pacate; alia tibi ſunt conquirenda, ne ab omnibus prorſus firmamentis deſtitutus videare.

CAPVT V.

Reſpondetur ad exempla pacis à Catholicis in negotio religionis cum Euangelicis initæ.

EXemplis ſtatuit Pacatus noſter pugnare; quorum eſt maxima vis ad perſuadendum, cùm fierine quidpiam poſſit aut debeat, in quæſtionem vocatur. Ait itaq;: *Cùm pacem & fœdera, inter diuerſæ religionis homines olim inita ſeruataq; videamus, cur & non hodie idem fieri poſſe putemus? Et fieri poſſe, non Polonia ſolùm, ſed & vtraque Germania & Gallia, ipſaq; adeò Italia exemplo erunt.* Hìc primùm à te quæro Pacate, quænam ſint illa fœdera, quæ inter diuerſæ religionis homines olim inita, ſeruataque commemoras? Si de fœderibus in negotio religionis loqueris, vt loqui pro tui inſtituti ratione debes; parce mihi, non credo tibi affirmanti, olim huiuſmodi fœdera eſſe inita ſeruataque. Equidem permiſſam temere aliquando religionis libertatem à nonnullis veteribus Imperatoribus, & Regibus Chriſtianis, negare non poſſum; ſed quas præpoſteræ huius lenitatis & indulgentiæ pœnas Deo dederint, non eſt difficile ex annalium monumentis repetere. Valentinianus ſenior, Catholicus alioqui Im-

Malè ceſſit Impp. & Regibus permiſſa temere libertas Religionis. *V. G.* VALENTINIANO SENIORI.

oqui Imperat. ſinebat quemque quam vellet fidem amplecti, atq; pro arbitrio hæreſes conſectari. Quod de illo memoriæ prodidit Ethnicus ſcriptor Marcellinus: *Hoc,* inquit, *moderamine principatus inclaruit, quod inter religionum diuerſitates medius ſtetit, nec quemquam inquietauit.* Imo etiam ipſemet cõiugio Arianæ fœminæ Iuſtinæ, non minimo Catholicæ religionis detrimento ſeſe implicuit, & hac ſua indulgentia multorum Arianorum, & præſertim Auxentii Mediolanenſis Epiſcopi temeritatem & audaciam confirmauit. Quin etiam hæc eiuſdem facilitas ſuperſtitionem Ethnicã excitauit, vt non tantùm aræ veteres ſacrificijs frequentarentur, ſed etiam nouæ recenteſq; erigerentur. Sed enim vindex huius perniciosæ facilitatis Deus oſtendit, quanti principibus Chriſtianis vnitas religionis ſit facienda. Duo ipſius filij, ijdemq; Auguſti, factione & proditione gentiliũ indigniſſimè necati ſunt, & imperium Romanum in Theodoſium diuinitùs tranſlatum, quem hæreſes omnes ſeueriſſimis edictis repreſſurum & propulſaturum Deus prouiderat. Honorius quoque Imperator huius Theodoſij filius, cùm primùm peruerſis nonnullorum conſilijs actus indulſit, vt ſecurè & abſq; timore legum, quam quiſq; vellet religionem ſectaretur, vrbis clade & vaſtatione per Alaricum, multiſque alijs calamitatibus à Deo caſtigatus eſt. Rurſus cùm facti pœnitens facilitatem & indulgentiam ſuam in ſeueritatem Catholico Imperatore dignam vertiſſet, & pro fidei Catholicæ vnitate reſtituenda laborare cœpiſſet; ſubitò veluti mutata rerum facie, ſenſit omnia proſpera & ad voluntatem fluentia. Nam & Alaricus vrbis inuaſor, repentè ſine prælio & armis perijt; & qui poſt eum Gothorum genti præfuit, mutato conſilio hoſtili, pro Romano imperio pugnare decreuit, Deo pium Catholicumq; Principem defendente, & hoſtes eius partim è medio tollẽte, partim ad pacata & ſalutaria imperio conſilia ſuſcipienda permouente.

Marcel. lib: 30.

Honorio.

Baro. A. D. 410.

Bar. A. D. 411.

Atq; vt veteribus prætermiſſis, ad recentiora & nobis

Cromer li. 16. VENCESLAO BOHEMIÆ REGI.

exempla viciniora veniam; Venceslaus Bohemiæ Rex Ioannem Hussum, & Hieronymum Pragensem, pestiferum novæ hæresis venenum regno inferentes, non modò non compescuit, sed etiam exortam de fide & religione contentionem, studiosè compendij priuati causa aluit, cùm dictitaret, anserem (hoc enim Hussi cognomen apud Bohemos sonat) aurea sibi oua parere. Et cùm à disputationibus & verborum contentionibus, ad tumultum paulatim & arma veniretur, ferretq; Venceslaus nihilominus se ab hæreticis pro concionibus hoc nomine commendari, quòd commodus ipsis & perfacilis Rex esset, qui eorum noua in religione studia minimè perturbaret; tutumq; ideo se quominus per seditionem & vim aliquam de regno periclitaretur putaret: qua tamen ipsa de re iniri clanculum consilia inaudierat, tandem securus omnem de comprimendis hæreticorum turbulentissimis conatibus cogitationem deposuit, planeq; (vt ait Æneas Syluius) ex tepido frigidus euasit. At cùm postea significaretur præualentibus hæreticis peti atq; interfici magistratus, subuerti Reipubl. ordinem, ipsi quoq; & eius coronæ periculum proximum imminere; tũ demum commoueri, & de restituenda Reipub. pace, hæreticisq; bello & armis coërcendis consilium cœpit. Sed serum id omnino fuit, Deo pœnas neglectæ & proditæ religionis à Rege repetẽte. Mox enim ex animi perturbatione iraque, in seditiosos concepta, paralysi resolutus est, paucisq; post diebus, frustra imploratis contra regni sui hostes amicorum auxilijs, è vita excessit. Ita cùm religionem Deumq; adeò priuato suo commodo posthabuit, vitam cum regno simul amisit; & religione prodita maximas calamitates & clades in Bohemiam imprudens inuexit. Itaq; vt ad propositum redeam, permissam quidem aliquando, Pacate, religionis libertatem à Principibus veteris memoriæ legi, etsi infelici semper successu, & grauissima pacis publicæ perturbatione: sed fœdere aliquo firmatam, quale tu nobis in Polonia obtrudis, legere me non memini. Tu

Hist: Bohem. c. 35. 36. 37.

si quid

si quid tale in veterum annalium monumentis obseruâras, annotare & proferre ad causæ tuæ præsidium debueras. Quod si de fœderibus alijs merè ciuilibus & politicis, & non de religionis negotio initis locutus es; doli certè mali reus teneris, vtpote qui ambiguitate verbi lectori incauto fucũ facere volueris affirmans, pacem & fœdera inter diuersæ religionis homines esse olim inita seruataque. Non est enim nobis, Pacate, quæstio, de alijs fœderibus; de quibus tamen quid sit sentiendum, infra docebo: sed solùm de fœdere religionis, quod ex natura rei loquendo, fieri licitè inter Catholicos & hæreticos non posse multis probaui, & tu factũ esse olim non potes ostendere.

Iam verò cùm de fœderibus ob causam religionis vobiscum nostra memoria factis, quæ tu ad sententiæ tuæ cõfirmationem allegas, cogito; venit mihi inprimis in mentẽ mirari, vestrũ hoc nouũ Euangeliũ, quàm à Christi veteri Euangelio longo interuallo sit diuersũ. Quibus enim quæso bellis, quibus cædibus, incendijs, grassationibus, latrocinijs, Euangelio Christi aditus ad regiones, vrbes, & oppida, quaquaversum per vniuersum orbem est patefactus? Excludebatur quidem vndiq; à gẽtilibus, qui illud Rebuspub. suis perniciosum, hominum generi exitiale, & Regibus insidiosum atq; infestum falsò existimabant: sed penetrabat tamen, & se in animos principum etiam virorum insinuabat miraculis quibus coruscabat, sanctitate vitæ illorum, à quibus promulgabatur, rationum & argumentorum põdere, quibus se ab Ethnicorum friuolis cauillationibus defendebat: denique præclusos sibi aditus aperuit, patiendo vim, non faciendo; non armatas sed imbelles acies; non ad inferendas, sed ad excipiendas fortiter iniurias producendo & explicando. Longè dissimilis fuit Euangelij vestri ratio: Quamprimùm enim ex Erebo caput extulit, & ad regiones, vrbes, & oppida Christiana & Catholica progredi, in eisq; domicilium collocare voluit (nam ad Ethnicos penetrare, vtpote nimis delicatum, & vxorum cura impli-

Quonam pacto nouũ Euangeliũ, in Catholica Regna primùm est ingressum.

citum, non laborauit;) statim à Catholicis fide & religione in Deum præstantibus vndiq; excludi, & vrbibus, ædibus, templisq; cœpit prohiberi. Quid tum illud? Num aliqua miracula, quibus animos hominum in admirationem raperet, edidit? num insigni aliqua pietate & sanctimonia prædicantium sese commendauit? num rationibus & argumentis cœpit esse superius? num à vi & armis abhorrens, ferendo & patiendo oblatas difficultates statuit superare? Minimè verò. Quin potiùs seditiones & tumultus cœpit meditari, in quibus vnicum sibi præsidium vidit collocatũ; qui non modò in apertam vim, sed etiam in grauissima & cruentissima bella breui eruperunt. Hoc modo Euangelium vestrum in Galliam cùm se occultissimè primùm insinuasset ex Germania, vbi natum educatumq; est, prorepẽs, tandem apertè in vrbes primarias & nobilissimas patefactis vi & armata manu portis penetrauit, & palàm Catholicæ religioni insultans temerariæ multitudini sese venditauit.

Testem huius rei accipe scriptorẽ Gallicum, Carolum Sausseyum Aurelianensis Ecclesiæ Diaconum, cuius verba ex annalibus Ecclesiæ Aurelianensis nuper Parisijs in lucẽ editis hoc loco exscribere placuit, vt de rebus Gallicis scriptori Gallico maior & firmior ab omnibus fides habeatur.

Quomodo ingreßum Aureliam in Gallia.

Hoc, inquit, *Anno 1559. mortuo Rege Henrico, Iulij die decimo successit filius eius Franciscus II. cùm vix dum quindecim ætatis suæ attigisset annos. Quo factum est, vt pestifera hæresis contagio, quæ iam multis in regni partibus irrepserat, in dies adolesceret, rebus vt ferè fit in terra, cuius Rex puer est, valde perturbatis: indeq; mota per vniuersam Galliam ciuilis belli semina. Gens nimis multa in hac ciuitate istius peruersi dogmatis cuncta ex libidine agere docta, regi, aut iuberi haud quaquam potens, sine pudore flagitij, sine cura magistratuum, sine regis reuerentia, sine timore Dei, cœpit tum clandestina conuenticula celebrare, contra fidei Catholicæ dogmata, fideles quosq; ab Ecclesiarum frequentatione, veneratione Sacramentorum, Eucharistiæ adoratione, inuocatione Sanctorum disturbare; venenum suum occulto calamo, dein' aperto, postremò etiam verborum lenocinijs instillare, cruces, ima-*

Euangelico rum temeritas Aurelia.

ces, imagines Sanctorum in præceps agere. Quo comperto Rex maturo procerum suorum consilio Aureliam venit, vt præsentia sua captantes tumultus compesceret, illicq; honorificentia, qua decet Regem, 17. Octob. Anno 1560. ab omnium ordinum viris exceptus mansit: donec 7. Nouemb. in morbum incidit, ex eoq; decumbens, 4. Decemb. fatis concessit sub noctem, succedente Carolo IX. adhuc vndecenni. Interim conuocantur Aureliam comitia Regni, quibus Rex ipse interest, in ijsq; multa piè & sanctè sancita. Sed finitis comitijs, & abscedente Rege, post festum Purificationis eodem Anno 1560. res in peius ruêre. Tota quadragesima fiunt per domos conuenticula. Post Pascha, Anno 1561. initio Maij publicè prædicantur noua dogmata, circumseptis semper armata militum manu doctoribus nouitatis: conuitia ingeruntur sacerdotibus: contumeliæ inferuntur sacramentis: etiam ipsò die quo sanctissimum Eucharistiæ sacramentum summo honore per plateas deferri moris est, supplicabundi catapultarum ignibus exterrētur: clerici ex altaribus extracti criminis insimulati, carceribus mancipantur. Eò proteruiæ ventum est; vt 12. Octobr. amandatis fratribus conuentum Carmelitarum occuparent, ibiq; sua falsa dogmata prædicarent: quod postea ab illis factitatum 19. Octobr. in platea Hallarū, & tandem 26. Octobr. in aula Castelleti. Raptæ sunt vna nocte ex cœnobio S. Magdalenæ quatuor & viginti virgines. Hæc inter Mornillerius Episcopus Aurelianensis, venit Aureliam 14. Nouembr. & cùm die Natalis Domini sacrum Vesperarum officium obiret in Ecclesia S. Crucis, expectareturq; in sacello Hospitalis maioris prædicaturus V. P. F. Philippus Picartus Minor Doctor Theologus, ibi iuxta seditionem ventum. Religionis causâ Catholici concione abire iussi, nauta vnus in illo tumultu extinctus est. Tum verò non iam solùm prædicare, sed & publicè cœnam suam celebrare occœperunt, haud quidquam curantes edicta regia, paucis antè diebus contra factiones eorum enunciata: quin verò cruces omnes, quæ in compitis constitutæ erant, ad memoriam passionis Domini, oculis, & mentibus filiorum Dei iugiter imprimendam, noctu, clanculumq; solo tenus euertunt; Sacerdotes, Monachos, Catholicos omnes probris lacerant, haud aliud, nisi carceres, & mortem minitantes, nisi desciscerent à fidei Romanæ professione. Fiunt tamen more maiorum solemnia Resurrectionis Domini ab ijs,

Ministri Euangelici militibus septi concionantur.

Carmelitani fratres Monasterio pelluntur: & templū eorum à Ministris occupatur.

Virgines è cœnobio rapiuntur.

Seditio Aureliæ mota ab Euangelicis.

Edicta Regia contemnunt.

Cruces in compitis euertunt.

Catholicos cogunt à fide discedere.

tum Clericis, tum Catholicis, qui tot inter dissensiones, armorumq́; strepitus, in ciuitate permanserant. Sed incautis, & vix tale suspicantibus, 2. die April. feria secunda post Pascha, Anno D. 1562. Condæus Princeps, Colignius maris præfectus, & Andelotius, cũ parua primùm equitum manu, Grolotio, & quibusdam scabinis portam S. Ioannis pandentibus, obseratis alijs portis, ciuitatem ingrediuntur; domos occupãt; ciues conuocant; tuta illis omnia sacramento asserunt, modò pro libidine quisque viuat, nec inquirat in proximi conscientiã: prohibent sub pœna capitis, ne quis ausit Ecclesias aut altaria demoliri, nedum tangere: armis ciues exuunt, quæ conuectant curribus in domum publicam ciuitatis. Demum ciuitatem paulatim gliscente in immensum armato milite, quaquauersum implent. Necdum Aprilis expirauerat, & iam tum Ecclesias aggrediuntur: altaria sacra diruunt: Christi, & Sanctorum venerandas imagines iactant in præceps. Dein' 2. Maij vasa sacra, calices, cruces, tabulas, imagines, librosq́; argento compactos, reliquiarum capsas, & iocalia, è maiore, & alijs Ecclesiis mandato Principis, in turrim nouam elata, in vsum suum paucis ab hinc diebus conflant: eademq́; per circumiecta oppida, vrbesq́;, quas pluribus in regni prouincijs interceperant, moliuntur. Tum verò tumultus, & turbandæ Reipub. Catholici, sed maximè clerici ab ijs arcessebantur: districtior accusator velut sacrosanctus erat: nec erat destinatis eorum consilijs vllo modo obsistere, aut aduersari. Nil iam libidini eorum, nil cupiditati exceptum: nullum sæuitiæ genus, & intus, & foris, omisit illorum proteruitas. Tunc diuina officia, sacras synaxes, Missarum solemnia intermittere oportuit: Sacerdotes, plebes, ciuitate & laribus clãculum excedere, quia coràm sine periculo non dabatur, nouas sedes Parisiis, Carnuti, Turonibus, Andegauis, vbiuis locorum quærere; quæuis aduersa pati oportuit. Hæc inter perculsus animi Carolus Rex, in Regni turbatores Parisiis cogit bipertitum agmen, partemq́; agminis transmittit versus Rhotomagum interceptam ab illis, partem versus Aureliam. Andelotius Alemanorum copias contra Regem admouet: sed fusis prælio apud Drocas, captoq́; manu Ducis Guisiani Condæo Principe, spes fuit afforc meliora. Hinc applicito ad muros nostræ ciuitatis Regis exercitu, itum est in pacis sententias, cuius obfirmatis iam conditionibus, nihilo seciùs, qui rerum summam adhuc vsurpabant,

Aureliã vi, & astu occupant.

Templa profanant.

Catholicos authores tumultuum clamitant.

Carolus Rex cõscribere coactus exercitum contra Euangelicos

Victi Euangelici

Contra pacem initam templa inuadunt.

Aurelijs

Aurelijs sacras ædes pro suo libitu demoliti sunt, videlicet S. Auiani, S. Flosculi, Episcoporum Aurelianensium: B. Mariæ de Vico: S. Michaelis in vrbe noua: S. Petri Puellarum: S. Stephani: S. Liphardi: S. Auiti. Sacella etiam omnia cœmiterij publici: sacellum S. Marci, Ecclesias SS. Petri, Germani, Donatiani, Benedicti, Hilarij, Pauli, Sulpitij, Carmelitarum, Augustinensium, etiam sancti Antonij sacellum supra pontes, cæteris quoad tecta illibatis, nisi quod omnem ex illis sacram supellectilem, aulæa, ornamenta, imagines, altaria, organa, campanas, libros, & quicquid erat intus opere ac labore singulari, etiam in Ecclesia S. Crucis pauimentum albo nigroq́ lapide tessellatum, deruperant diripuerantq́. Plura si voles, Pacate, ex nominato authore petes, vt meliùs certiusq́; geniũ Euãgelij tui agnoscas.

Quod si te etiam tenet cupido cognoscendi, quo pacto idem Euangelium tuum Parisiensi vrbi innotuerit, & quæ sit ratio in eo promulgando seruata, describam in tuã gratiam epistolam, cuiusdam Tissieri Euangelicæ sectæ non inimici, quam Parisijs Lemouicas ad amicum misit, in qua Euangelij Hugonotici Martia planè cunabula, graphicè depingit. Exemplar epistolæ hoc est: *Quod ad religionem attinet, hoc vnũ pro certo possum affirmare, nouos huius æui Christianos, sic in hac vrbe,* (Parisiensi) *vt in nulla magis totius regni florere. Quanquam parua quædam orta est seditio, fortiores tamen sunt, viribusq́ præstant Hugonoti. Binas habent illi conciones, ad quas quotidie ad 20. millia hominum confluunt. Quàm vehementer optabam, nuperrimè te in hac vrbe paulisper esse, vt ex illo conuentu, hoc redeuntes ordine cõsiderasses. Incedebãt primò scholastici sexcenti plus minus, armis instructi, bellicũ gestãtes vexillũ, in cuius oris scriptũ legebatur: VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA. Deinde sequebatur excubiarum cum sua cohorte præfectus, ad impediendam si qua oriretur seditionem. Deinde sex magni nominis & auctoritatis viri N. N. quorũ tergo totidem inhærebant Ministri, scilicet D. Beza, D. Peroceli, D. Malon, D. Rinerius, D. Plante, & D. Forestius, quos stipabant custodiæ causa equites armati ad quadringentos. Post hos opificum, mulierum, iuuenum imbellium turba veniebat. Claudebant agmen deinde duodecim quindecimué hominum millia, ensibus, sclopis, & alijs eiusmodi ad*

Recitat hãc epistolam Richeomus in idololatria Hugonotica. lib: 3. c. 29.

Ordo Euangelicorum Parisiis ad concionem procedentium.

modi ad

modi ad aggrediendum armis instructorum, quorum erat cum hac inscriptione militare signũ; VERITAS ODIVM PARIT. *Lutetiæ Parisiorum 25. Febr. 1561. ante ferias Paschales. Tuus frater & amicus Tissier.* Quid tibi videtur hæc pompa, Pacate? taliné vnquam primi Euãgelij Christi promulgatores Apostoli procedebant ad concionandum, vel à concionibus redibant; quali deductos fuisse Euangelij vestri Ministros, Bezam, & alios, Gallus iste significat? Verum itaq; est quod dixi, Euangelium vestrum, non Christi, sed Martium, seditionibus, tumultibus, vi, armis, bellis, aditu patefacto, domicilium sibi liberum in Gallia collocasse.

Quo loco venit mihi & illud cogitare, quæ fuerit eo tempore in Gallia Catholicorum Regum, & Principum, fide in Deum & pietate præstantium, de libertate religionis sententia: Nempe ita statuebant, libertatem religionis vtpotè diuinis & humanis legibus interdictam, pestem fidei & pietatis, pacis & tranquillitatis publicæ expultricem, sacrilegiorum & aliorum scelerum matrem, non posse sine grauissimo impietatis crimine, in ciuitates & Respub. introduci; & quæuis potiùs dura & acerba priùs perpetienda, quàm concedendum, vt sub prætextu liberæ fidei & religionis, omnis perfidia, & absurdissimæ quæuis hæreses, regna & vrbes peruaderent. Hoc animo fuerunt Catholici in Gallia, tum aliâs sæpè, tum Anno 1576. Cùm enim Hugonotæ Pacificatorium quoddam (sic fœdus suum vocabãt) composuissent, quo nominatim cauebant, vt Reformatæ religionis exercitium liberum per vniuersum regnũ esset nullo temporum locorumué discrimine; idque Henrico Galliarum Regi subscribendum & confirmandum obtulissent; Catholici fortiter obstiterunt, & tam pudendam, noxiam, & impiam pacis conditionem detestati, fœdus aliud inter se firmârunt, quod Fœdus sanctum seu sanctã Ligam vocârunt, quo se ad tuendam & defendendam vnam Catholicam, Apostolicam, Romanam fidem obstrinxerũt: Hugonotis autem queritantibus Pacificatorium illud, in commu-

Hugonotæ fecerũt Pacificatoriũ religionis in Gallia.

Catholici fecerunt Ligam sanctam.

communem, vt ipsis videbatur, totius regni vtilitatẽ conceptum, non posse nisi contra omne ius diuinum & humanum abrogari; responderunt Catholici, edictum Pacificatorium vim suam obtinere nullatenus posse; Regem Galliæ in sua inauguratione solemni iuramento promisisse, Catholicam Apostolicam Romanam & auitam religionẽ se totis viribus defensurum: iuramentum illud vtpotè sacrosanctum & inuiolabile cõseruandum, nec à Rege, vllo modo infringendum: pacificationem itaq; factam, vtpotè contra ius diuinum, & iudicium conscientiæ stabilitam, retineri & pro firma rataque haberi non posse. Comitia deinde Blesis sunt habita: in quibus post ieiunia & publicas supplicationes, actum est initio de religione. Ibi trium Ordinum Galliæ legati prolixè, & grauiter Regẽ orârunt, vnanimiterq; ipsi suaserunt, ne aliam in regno, quàm vnã, Catholicam, Apostolicam, Romanam religionem exerceri liberè permitteret; multisque rationibus & argumentis in medium adductis ostenderunt, nullam pacem posse esse diuturnam, quæ diuersis & inter se pugnantibus religionibus nitatur. Adduxerunt exempla Reginæ Angliæ, & Germanorum Principum Protestantium, qui experti, quãta mala pareret religionis diuersitas, seueris mandatis prohibuerunt omnem præter vnicam, cuius ipsi erant, religionem. Cui Ordinum postulationi, iustæ, piæ, & religiosæ, cùm Rex libenter annuisset, edictum pro instauratione vnius religionis Catholicæ Romanæ est confectum.

Edictum in Gallia pro instauratione vnius Religionis Catholicæ Romanæ.

Cernis, Pacate, sensum Catholicorũ Gallorum de religionis libertate, quam vi & armis Hugonoti ab ipsis extorquebant. Quod si ijdem perniciosam hanc non libertatem, sed licentiam, certis tamen limitibus circumscriptam, postmodùm indulserunt, & fœdere firmârunt, id non nisi grauissimis Ecclesiæ & Regni perturbationibus compulsi fecerunt: non quòd religionum diuersitatem probarent, aut natura sua licitum esse putarent; sed quòd existimârũt cogente grauissima necessitate, vt minus malum à se permitti

Tandẽ permißa in Gallia libertas religionis ex mera necessitate.

mitti eam posse; vt vel hac iniquissima conditione, pacem Reipub. & Ecclesiæ ab Hugonotis obtinerent: rati qualemcunq; pacem cum ciuibus ciuili bello vtiliorem, & vel iniquissimam iustissimo bello licitè posse anteferri. Neque verò nouum & insitatum est Reges, & Principes, & copiarum duces, grauissimis ex causis, necessitate ipsa compellẽte, ad iniquissimas pacis conditiones cum hostibus descendere, à quibus si eis integrum esset, toto pectore abhorrerent. Notissima est Caudina pax inter Romanos & Samnites constituta, ea conditione proposita, vt Romani inermes cum singulis vestimẽtis, sub iugum à Samnitibus mitterentur. Quàm acerbum illud erat & luctuosum spectaculum, à Coss. Romanis lictores, maiestatis indices abire iussos, paludamentaq; imperij ipsis detracta, eosdem primùm prope seminudos sub iugum missos; tum vt quisq; gradu proximus erat, ita ignominiæ obiectum, circumstare hinc inde hostes armatos, exprobrare, illudere, gladios etiam intentare. Ad hoc proculdubio fœdus nunquam Romani adduci se passi fuissent, vtpote dedecoris & ignominiæ victori gentium populo plenissimum, nisi vltima necessitas nescia legum humanarum, inuitissimos coëgisset. Sæpe enim (quod politici monent) exercitui intercepto ignominiã subire præstat, vt saluus & incolumis restet, quàm inani iactatione virtutis, & libidine vlciscendæ mortis, nulla spe bonoq; Reipub. pugnare.

Sæpe in Repub: descẽditur ad iniquissimas cõditiones ob bonum pacis.

Exemplum pacis Caudinæ.

Quàm ergo imperitè, imo stolidè faceret, qui fœdera dedecoris & ignominiæ plena, simpliciter & absolutè ineunda esse cum hostibus, hoc Romanorum exemplo probare niteretur; tam tu imperitè, ne dicam stolidè facis, qui absolutè & simpliciter, libertatem religionis fœdere firmari, exemplo Gallorum persuades. Non enim quod solùm ob hominum improbitatem, & ad malum perniciosius euitandum, permitti aliquando potest; id absolutè vt bonum & honestum, licere censendum est. Exemplo ex Euangelio petito res fiet illustrior. Proposuerant Christo Domino Pha-

Gallorũ factum non est absolutè in exemplũ trahẽdum.

Non sequitur aliquid absolutè licere, quia interdum ex necessitate permittitur.

no Pharisæi quæstionem huiusmodi: *Si licet homini dimittere vxorem suam quacumq; ex causa.* Ad eam quæstionem tale Dominus noster responsum dedit: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit; Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaq; iam non sunt duo sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Hîc tum illi Christo Moysen opposuerunt, & exemplo ipsius licitum esse absolutè diuortium probare voluerunt: *Quid ergo,* aiunt, *Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere?* Quibus ita respondit Dominus: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Persimilis tua causa est, Pacate. Obtrudis nobis libertatem religionis, ob quam necesse est multos fidem Christo Domino tanquam sponso in baptismo datam, impiè violare,& cum eo sacrilegum diuortium facere. Respondemus, perfidiam & diuortium huiusmodi nequaquam licere; ac proinde iniquè te agere, qui nos ad consensum illius conaris protrahere. Tu verò Gallorum nobis exemplum & authoritatem opponis, qui eiusmodi religionis à Christo animorum sponso diuortium fieri permiserunt: sed audi,quid tibi vicissim exemplo Christi respondeamus. Galli ad duritiam cordis vestri permiserunt vobis dimittere sponsum vestrum Christum, cui vos Sacramento fidei obstrinxeratis: Ab initio autem non fuit sic. Lege, si placet, Chronologiam Genebrardi Galli longè eruditissimi: & quo sub initium nascentis Euangelij vestri animo, erga religionum diuersitatem Galli fuerint intellig: es *Sacramentariorum,* inquit, *siue Zuinglianorum secta in Gallia innotescit, Anno 1534. Cal. Nouembr. sparsis passim, & affixis, in aula Regia Lutetiæ famosis libellis contra Eucharistiæ Sacramentum. Vnde grauiter animaduersum est in hæreticos.* Idem Ad annum 1556. sic scribit. *Eodem anno Nonis Septembr. Lutetiæ summo mane Via Iacobæa in ædibus cuiusdam priuati hominis, qui tunc aberat, ante Collegium Plessiacum comprehenduntur Caluinistæ seu Lutherani vt vocabantur, vtriusq; sexus circiter 120. qui nocte ipsa illuc*

Math: 19.

Exemplo repudii in veteri lege permissi id probatur.

Libertas religionis similis libello repudii.

Galli initio restiterunt nouis hæresibus.

ſa illuc ad concionem & preces conuenerant. Ex ipſis nonnulli paucos poſt dies comburuntur.

O quàm gratum erat initio Catholicis Gallis veſtrum Euangelium, cui præcludere aditum flammis vltricibus ſtatuerunt? Quo in propoſito ſine dubio Galli perſtitiſſent, & religionis licẽtiam, tanquam peſtiferum & exitiale ſcelus, vindicare porrò perrexiſſent; niſi aliud ab eis ſeditiones, & bella, à vobis in proprios Reges impiè concitata, & grauiſſimi Eccleſiæ & Reipub. motus extorſiſſent. Quorũ tamen factum non eſt facile, vt tu imperitè ſuades, in exẽplum trahendum. Nam eadem ratione Amniſtiam ſeu perpetuam obliuionem ſcelerum, & damnorum ab aliquibus Reipub. illatorum, legimus interdum ad componendos & trãquillandos periculoſiſſimos Reipub. motus vſurpatam: nunquid iccirco non deſiperet, qui eam temere & ſimpliciter in Rempublicam, ob nonnullorum vitæ licentiam vel cõmodum inuehendum eſſe perſuaderet? Præfecti præſidiorum & vrbium grauiſſimè ab hoſtibus obſeſſi & oppugnati, commeatu & milite conſumpto, nullaq́; ſubſidii alicuius ſpe reliqua in extremum vitæ diſcrimẽ adducti, poſt alia fruſtra tentata remedia, de facienda hoſtibus deditione, & vrbibus præſidiiſque tradendis, licitè paciſcuntur; quàm vecors & impius erga patriam eſſet, qui præſidia & vrbes hoſtibus eſſe dedendas nulla neceſſitatis expreſſa ratione ſentiret & doceret? Adhæc amputationem, & ſectionem alicuius corporis membri, ſcimus interdum à Medicis neceſſariò adhiberi, vt infirmum à præſenti mortis periculo eripiant; num mente ſanus eſſet, qui abſolutè licere corporis membra præcidere putaret? Apage itaque cum tua argumentatione, Pacate, & ea quæ grauiſſima ac pene extrema neceſſitas permittit & tolerat, ne in communem Reipub. morem introducas, & lege firmari ac roborari ſuadeas. Scito, aliud eſſe hæreſim pati & tolerare, & cùm impedire non poſſis, vt tumultibus, ac bellis Rempub. liberes permittere: aliud leuibus quibuſque obiectis

Permiſſio libertatis religionis ſimilis Amniſtiæ, quæ etſi nociua Reipub. interdũ permitti debet. Similis eſt præterea hæc permiſſio deditioni præſidii in extrema neceſſitate. Item ſimilis eſt amputationi corporis membri.

Aliud eſt hæreſim tolerare, aliud negligere.

iectis

iectis impedimentis hæreſi cedere, neq; curſum eius impedire conari; & exiſtimare nihil rectorum, & Reipub. moderatorum intereſſe, quam ſubditi religionem colant, modò id quod legibus ciuilibus debent præſtent, & ab officij ſui ratione nulla in re diſcedant. Quo in errore multos ex Catholicis verſari dolenter ferimus, qui in vnam terrenam & caducam Reipub. felicitatem intenti, & ad eam conſiliorum ſuorum omnium curſum dirigentes, cœleſtem aliam & perpetuam felicitatem negligunt: nec quicquam penſi habent, quo pacto ciues Deum colant, & quàm grauibus hæreſibus implicati, in exitium animorum ſempiternum ruant.

Catholicorum quorumdã error, exiſtimantiũ nihil intereſſe ad bonum Reipub. quã religionem ciues colãt.

Audirent iſti vtinã, clariſſimum illud Eccleſiæ lumen D. Auguſtinum, quàm abſurdum hunc ipſorum errorem putet: *Quis,* ait, *mente ſobrius Regibus dicat; Nolite curare in regno veſtro, à quo tueatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri? quis velit eſſe ſiue religioſus, ſiue ſacrilegus? quibus dici non poteſt; Non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit pudicus eſſe, quis impudicus.* Vbi ſic argumentatur Auguſtin: Non poteſt à quouis mente ſobrio dici, non pertinere ad Reges, an ciues velint eſſe pudici vel impudici; quaſi per Reges licere illis impunè debeat, in omni impuritatis cœno volutari, & alieni thori iura violare; vel quæuis alia pudoris clauſtra & repagula perfringere: ergo multò minus à quouis mente ſobrio dici poteſt, non pertinere ad Reges, an ciues eſſe velint Catholici vel hæretici, propugnatores vel oppugnatores Eccleſiæ, religioſi vel ſacrilegi; quaſi per Reges licere illis impunè debeat, quæuis hæreſum monſtra & deliramenta ſectari, & cum Eccleſia Catholica impium bellum gerere. Scimus alios in hac parte carnem & ſanguinem reſpicere, & vel cognationum vel affinitatum iure, vel priuatæ amicitiæ & cõmodorum affectu duci, quominus debito odio aduerſus hæreſim, certiſſimam Eccleſiæ & regnorum peſtem, moueantur: Sed hi ſibi dictum illud à Symmacho Papa I. exiſtiment; *Vbi religionis iniuria eſt, amorem fidei, omnem tranſcendere oportet affectum.*

Aug. Epiſt. 50.

Hos refutat D. Auguſt.

Catholici alii ob carnem & ſanguinẽ permittũt hæreſim inualeſcere.

Refellũtur à Symmacho Papa.

 Sunt

Aliorũ error qui putant sufficere quòd ipsi Catholici sint, & ab aliis fidem Catholicam sinunt impugnari.

Sunt alij, qui sufficere sibi putant si in Catholica Ecclesia saluti propriæ studeant, aliorum errores & lapsus nihil morantur; neq; quantum possunt, ab eadem Ecclesia, quam matris loco ducunt, hæreticorum iniurias propulsant: Catholica dogmata toto pectore ipsi complectuntur; sed ne ab hæreticis impugnentur, laborandum sibi esse nõ putant: & hoc solo nomine se Catholicos veros & germanos præstare censent, si ne latum quidem vnguem à fidei regula discedant. Sed hos ego Hormisdæ Pontificis Max. verbis compello: *Quid prodest cuilibet paternarum reuerentiam seruare regularum, si concuti hæc ab alijs, si sine honore tractari, patienter accipiat? Infirmum ostendit affectum, qui quod diligit, non tuetur. Incursantur passim à perfidis sancta constituta. Quemadmodum ergo pietatem in Deum probat, qui tam nefanda dissimulat? Diligite & vindicate sententias probatas pijs, infidelibus inimicas.*

Refelluntur ab Hormisda.

Alii patienter censent agendum.

Non desunt etiam qui patienter in huiusmodi religionis dissidio agendum, nec vllis acrioribus remedijs sæuientem animorum pestem censent reprimendam. Sed hanc eorum intempestiuam patientiam reprehendit Leo Papa: *Abijcienda*, inquit, *prorsus pestifera hæc patientia, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit.* Reprehendit & is quem paulò ante nominaui Hormisda: *Non sunt*, ait, *hæc per patientiã negligenda, quando malum hoc prauæ vitio consuetudinis animatum apud plures sub colore quodam legis inoleuit.* Vtinam isti affectũ & zelum D. Hieronymi induerent, qui de se alicubi ita scribit: *Fatebor tibi dolorem meum: sacrilegium tantum, patienter audire non possum. Legi enim Syromasten Phinees, austeritatem Heliæ, zelum Simonis Cananæi, Petri seueritatem, Paulíq; constantiam, qui Elymam magum vijs Domini resistentem, æterna cæcitate damnauit. Non est crudelitas, pro Deo pietas.* His itaq; & similibus politicis rationibus friuolis, & leuibus, duci ad libertatem fidei permittendam, non potest à graui peccato excusari. Imò addiderim, me non videre, quo pacto omnes illi Catholici, qui inanibus hisce & minimè Christianis opinationibus occupati, calculum suum Confœderationi stabiliendæ parati sunt da-

Leo epi. 76. Refellũtur.

Epi. 53. ad Riparium.

Aduersus Vigilantium.

Non est crudelitas, pro Deo pietas.

ſunt dare, vel in verorum Catholicorum numero reponi, vel à conſenſu in hæreſim & eiuſdem patrocinio & fauore poſſint excuſari. Habes, Pacate, ſolidam & apertam ad exemplum Confœderationis, ex Gallia petitũ, reſponſionẽ: Eandem reliquis exemplis tuis externis accommoda. Quãquam quod Italiam quoq; ponis in numero earum regionum, in quibus, vt verbis tuis vtar, *in vna ſæpènumero ciuitate, non duarum, ſed & trium nonnunquam & quatuor confeſſionum homines, pacem colant, in vno ſæpe templo, diuerſa ſacra celebrent*; vereor vt cuiquam probare poſſis. Ego quidem tibi falſitatis crimen non impingo; ſed non deerunt, qui tuum libellum legerint, qui te hoc loco non vulgariter mentitum affirmabunt. Cur autem exemplum Confœderationis nullum ab Hiſpania mutuatus es? Scilicet hæc tua Confœderatio non audet Pyrenæos montes ſuperare, Sacrumq; Inquiſitorum tribunal, vehementer perhorreſcit. Et ego ſanè author tibi non ſum, Pacate, vt te in Hiſpaniam conferas, & Hiſpanis pacem Confœderationis in religione perſuadere coneris; nam nullo operæpretio facto periculum etiam vitæ perſpicuũ incurreres. Bonũ eſt te hîc eſſe, vbi ſecurus latere potes.

CAPVT VI.

Confœderationes religionis alibi factas pacem politicam veram, & ſolidam, non eſſe conſecutam.

NOn hoc tibi probandum fuerat, Pacate, initas eſſe alicubi inter Catholicos & hæreticos nomine religionis Confœderationes: Dudum hoc te etiam tacente probè noueramus. Rectiùs & ad tuum propoſitum accomodatiùs feciſſes ſi oſtendiſſes eiuſmodi Confœderationes pacem politicam veram, ſolidamq;, eſſe conſecutam. Nam neque Authori, contra quem ſcribis, ignotum erat Confœderationes religionis alibi eſſe factas, & ſæpius renouatas & repetitas: ſed oſtendere voluit, nullam veram, ſolidãq; pacẽ politicã, ex illis eſſe cõſecutam, ác ne cõſequi quidem poſ-

dem posse. Quare hoc opus, hic tuus labor erat demonstrare, per Confœderationem, omnes odiorum & dissidiorum inter Catholicos & hæreticos fibras penitus ex animis euulsas; lites & contentiones sopitas; iniurias omnes quieuisse; & pacem tandem lætissimãm Germaniæ, Galliæ, Belgio, & aliis similibus regionibus redditam, absq; vllo prorsus non modo tumultuum & seditionum, sed etiam iustarum querelarum metu. Hoc si præstitisses, Pacate, egregiam sanè operàm tuis Euangelicis nauasses. Quin & Catholicis visus fuisses scriptor non incommodus, atq; adeò opportunus. Nam inter alia multa, illud eos à consilio Confœderationis reuocat, quòd verentur, ne sub hoc præclaro nomine, non pax sed dissidium potiùs perpetuum delitescat. Quod si tu scrupulum istum ex animis eorum exemisses, probabiliorem nonnihil causam tuam reddidisses. Sed bene est quod ingenuo pudore victus affirmare nolueris, Catholicos in alijs religionibus pacto cum hæreticis fœdere, veram germanamque politicam pacem consecutos esse. Nam te ipsa historia, testis tẽporum, apertissimè confutasset. Ego tamen facere non possum, quin in Catholicorum gratiam paucis ostendam, qualem pacem alijs regionibus Confœderatio religionis attulerit.

Qualis pax Religionis in Germania.

Querelæ Catholicorum in Germánia, contra Protestantes propositæ in comitiis Imperialibus, A. D. 1613. Prima.

Atq; vt ab Germania incipiam, notum est anno supra millesimum quingentesimũ quinquagesimo quarto, religionis & ciuilis cõuersationis pacem inter Catholicos & Protestãtes esse cõstitutam. Cæterum quàm ea vera, constãs diuturnaq; fuerit, nullo negotio intelligi potest ex querimonia, inuictissimo Cæsari Matthiæ à Catholicis in comitijs Ratisponens. nuper, Anno scilicet 1613. proposita. In qua inprimis ostendunt, Augustana Confessione, quæ sola initio cum Catholica religione permissa in Germania fuerat, sensim annihilata, & penitus in tanta religionum diuersitate deperdita, paceq; adeò facta in dubium vocata, videri omnes Protestantes in perniciem religionis Catholicæ cõspirasse, quemadmodum id ex persecutionibus & quæ bonis redi-

nis reditibusq; Ecclesiasticis passim struuntur, insidijs, vectigaliumq; immodicorum in bona Ecclesiastica irrogatione, templorum & cœnobiorum contra publicatum Anno 1544. recessum, euersione manifestum satis sit. Addunt *Secunda.* præterea personis Ecclesiasticis quomodo parcatur, ex delata ad Cæsarem querela Anno 1594. satis constare, nimirum ab Officiarijs Ambergensibus Frischletum Heimhofii sub ipso Missæ officio ab altari esse abreptum, & in custodiã missum: ipsam calumniandi & criminandi licentiam, adeò in suggestis Protestantium iam inualuisse; vt nec Romanũ Pontificem optimè de ipsis, & vniuerso imperio, vel proximo Hungarici belli tempore promeritum, conuicijs proscindere dubitent. Commemorant, quid vtilitatis ex *Tertia.* pace religionis, & factis in Protestantium gratiam recessibus regulares Ecclesiastici percipiant notum esse. non solũ enim aduersarios monasteria ipsorum occupasse, sed & viam iuris ea recuperandi ipsis præclusisse; cùm tamen de bonis suis Ordines isti, tributa etiam imperio persoluant; & iniquum sit, sub reformationis cuiusdam cum pace religionis expressè pugnantis specie, bonis eos proprijs spoliari; nec qui causam ipsorum cognoscat, iudicem in imperio haberi posse. Eam enim ob causam iustitiæ inhibitionem in Camera à Protestantibus factam, vt Catholicis media omnia, & amissa recuperandi, & quæ adhuc supersunt, tranquillè possidendi præscindantur. Adiungunt, Catholicis in *Quarta.* ijs locis, vbi cum aduersæ religionis hominibus versantur, fieri subinde inhibitiones in cæremonijs Ecclesiæ, celebratione Missæ, & festorum obseruatione: cogi enim eos ad ipsorum nutum sese accommodare, & non solùm cæremonias istas intermittere, sed & à pulsu campanarum abstinere, idq; Anno 1594. prolixè ostensum esse. In ciuitatibus *Quinta.* Imperialibus, vtriusq; religionis exercitio ex pace religionis facta hactenus gaudentibus, Catholicos multis quotidie molestijs affici. Non solùm enim templa & monasteria iurisdictione, & libertate sua, ritus Ecclesiasticos obseruandi

& festa celebrandi priuari; sed & ciues Catholicam religionem profitentes varijs modis circumueniri: denegari ipsis media sese cum suis sustentãdi, & iniustis pœnisq; mulctisq; ad tantam eos necessitatem adigi, vt vel vrbibus excedere, vel religionem tandem mutare necesse habeant: non permitti Catholicis ius ciuitatis in locis alijs: denique aditum ipsis ad dignitates & officia præcludi: cùm interim in ciuitatibus quibusdam, quæ nec ante, nec post transactionem Passauiensem, & factam religionis pacem, præter Catholicam, religionem vllam aliam nouerint, paucis quibusdam Protestantibus ex misericordia receptis auxilium præstetur: & Catholici Magistratus vrgeantur, vt noua ipsis religionis exercitia indulgeant.

Sexta. Quin & eò audaciæ progressos esse aliquos, vt Magistratũ ad pacẽ religionis & receptã cõsuetudinẽ prouocãtem, cõtra ius & æquum ab officio remouerint, & religioni suæ addictos ipsi suffecerint: factũ istud suum vi summa defendere conãtes; quemadmodũ id ex recenti ciuitatis Aquisgranensis exemplo satis constet.

Septima. Adhæc querũtur beneficia Ecclesiastica cõtra receptã consuetudinem eiusmodi hominibus ab aliquibus conferri, qui eorum minimè capaces sint, eosq; per vim capitularibus obtrudi. Quin & desertores religionis in beneficiorum istorum possesione conseruari; quemadmodũ exempla in diœcesi Wormatiensi reperiantur.

Octaua. Prætermittunt dicere de iuramentis, quæ in occupatis istis Ecclesijs iam ad perpetuam Catholicorum exclusionem directa & recepta sint. Hæc enim omnia Cæsari nota esse, qui inde facilè possit æstimare, quantis iniurijs Ecclesiasticus status hac ratione afficiatur.

Nona. Sed illud commemorant, prophanationes templorum, & sacellorum, tot tantasq; passim reperiri: cõstitutiones circa cõcionatorum templa ante hæc tẽpora factas negligi; eaq; etiamnum detineri; Catholicos verò in exercitijs suis passim impediri; quemadmodum id prolixo admodum scripto A. 1594. declaratum fuerit: vbi etiam aiunt ostensum esse, quantum damni monachorũ, & monialium cœ-

lium cœnobijs in aliquibus Imperialibus ciuitatibus inferatur, quamq; subdolè donationes ad pios vsus factæ, contra pacem religionis peruertantur. Repetunt præterea sub specie priuilegiorum Cæsaris, aliarumq; prætensionũ, irruptionem subitã in diœcesim Spirensem factam, A. 1609. Prusselenseq; oppidum bello tentatum, expugnatũ, & ita deformatũ fuisse, ac si sub Turcarum potestate situm fuisset: pagos ad præposituram Imperij Odeinhemicam pertinentes, vt & Wellstadiũ oppidum vi occupatum: reditus omnes Ecclesiæ ablatos: & subditos ad mutandam religionem coactos: nihilq; intentatũ relictum fuisse: vt Præpositura ista statu Imperij priuata Catholicis eriperetur. Addunt notissimas Cæsari, & toti mundo, esse traductiones militũ perniciosas à Protestantibus per Archiepiscopales, & alias diœceses factas, & hostiles in Episcopatu Argentinensi conatus: Episcopatum autem Wormatiensem, quiete & trãquillitate sua frui nunquã posse: occlusionem Ecclesiæ Salanæ adeò continuari, vt etiam nobilibus personis ob nuptialẽ festiuitatem, & baptismi administrationem eò confluentibus, manus inijcere, captiuitatis pœnarumq; aliarum comminatione ab ea omnes deterrere non dubitent. Concludũt; Cùm hæc & alia grauamina ita comparata sint, vt constitutionibus Imperij, paci religionis, omniq; rationi & æquitati repugnent, & à Catholicis perferri diutius & tolerare non possint, petere se vt remedium ipsis Cæsar quamprimùm adhibere, & de Catholicis in pacem & tranquillitatẽ asserendis, rationẽ inire exoptatissimam velit. Hanc querimoniam si legisses, Pacate, (legere autem nullo negotio in Mercurio Gallobelgico poteras) non ita asseuerãter scripsisses, in Germania diuersæ religionis homines in pace secum viuere; nisi tot tantasq; iniurias & iurium omniũ perturbationẽ, cum solida veraq; politica pace posse consistere arbitreris. Talis scilicet pax à vobis Euangelicis ostendi & offerri solet, quæ ad interitum & euersionem Catholicæ religionis viam sternat.

Decima.

Vndecima.

 Venio

Qualis pax Religionis in Gallia. Venio ad res Gallicas. Satis constat pacificationes de religionis libertate sæpius in Gallia esse factas & repetitas, neq; tamen ideo à bellis ciuilibus funestissimis per multos annos cessatum esse, ruptis fœderibus ob animorum à se religione dissidentium mutuas alienationes, incendioque semel excitato grassante; vtpote quod non pactis vllis, vel legibus, sed cruentissimis prælijs restingui debuerit. Sed præstat, quid de hac re memoriæ prodiderit Florimundus Ræmundus Galliarum Regis in Curia Burdegalensi Consiliarius, hoc loco breuiter commemorare. Is ergo in suis de origine hæreseon libris ita tuos Reformatos alloquitur:

lib. 7. ca. 1. *O Reformati,* (hoc enim nomen & gladijs & hastis vobis hactenus acquirere voluistis) *oculos aperite, & miseræ vestræ patriæ statum in hac veluti tabula depictum diligenter perlustrate. Quamuis enim vt Euripides monet, antiquæ ac iam præteritæ calamitates nouis lachrymis deplorandæ non sint: scio tamen, nisi cor vobis ferreum & Marpesia caute durius sit, vbi tam luctuosa furoris vestri passim videritis vestigia, à veris lachrymis vos non temperaturos.* Et post pauca: *Mirabiles quidem vos architecti estis, qui paucis annis ferè ducentorum retro annorum opera deiecistis: ac plura bella, quam Romani olim pro acquirendo vniuersi terrarum orbis dominio gesserunt, accendistis. Vt enim de sola Gallia nostra dicam, in ea nouies omnibus copijs & viribus pugnatum, nempe ad Veram, Druydas, S. Dionysij fanum, Iarnacum, Montæorium, Contracum, Sanlisium, & Turium: plusquã ducenta prælia commissa sunt, quæ (vt de minutis quotidianis conflictibus nihil dicam) infinita hominum strage, etiam cruentissimis, quæ vnquam commissa scribuntur, prælijs æquiparare possunt.*

In Gallia nouies omnibꝰ copijs ob religionem pugnatum cũ Hugonotis.

Quid de vrbibus, oppidis, & arcibus dicam? An vllus toto ferè regno locus fuit, qui non captus, mox receptus, inde iterum receptus, & omni belli clade vexatus fuerit? Quid? an non vltra decies centena ciuiũ vestrorum & popularium millia, partim gladio, partim incendijs miserè absumpsistis? Quas verò vrbes, arces, & oppida non diripuistis? Tam longa scilicet ciuilis huius belli calamitatum fuit series, tam prolixa malorum nostrorum ilias, vt facilius fuerit in hoc regno locum aliquem aëre vacuum (quanquam id per naturam fieri non potest).

Quot millia hominũ cæsa.

quàm à

quàm à belli miserijs immunem reperire. Non sine magno quidem nostro damno tum experti sumus, Religionem & Rempub. ita inter se colligatas esse, ut verè de illis dici possit, quod Iuriscos. de naui dixit; SI DIVIDAS, PERDIS.

NOTA. Religionem à Repub si diuidas perdis.

Scio quid ad hæc Pacatus sit responsurus, Galliã iccirco ciuili bello penè conflagrasse, quòd Hugonotis pro cõscientiæ libertate certantibus non fuerit permissum, quam semel amplexi essent reformatam religionem, eãdem perpetuò & quidem ritibus & cæremonijs publicis colere. Sed eum refellent historici, qui res gestas superiorum annorum diligẽter & ex fide cõscripserunt. Permissum siquidem est Hugonotis Anno 1562. impunè concionari & baptizare in Gallia; modò id extra vrbium mœnia facerent. Qua permissione mirabiliter se tuebantur postea: nec dubitabãt dicere religionem suam à proceribus regni esse approbatã. Iterum Anno 1568. ad Martem Hugonoticũ ab armis deducendum decretum est; vt exercitiũ religionis relinqueretur, prout in Pacificatorio edicto anni 1562. constitutum erat. Sed cùm iterũ Mars Hugonoticus classicum caneret, aliæ pacis conditiones anno 1570. confectæ, & religionis libertas concessa est. Nihilominus ad arma iterum & vim belliq; furorem reditum est: & iterum Anno 1575. ampliores pro sua religione fauores Hugonotæ sunt adepti. Sed neq; sic pacatiores & mitiores facti, cùm bellis nihilominꝰ intestinis omnia miscerent, pax cũ eis inita est Anno 1577. qua nominatim Hugonotis permissũ est habitare in omnibus vrbibus, & pagis totius Regni ita; vt à nemine cogi possent aliquid in religionis negotio contra conscientiam facere. Multa tum alia ipsis cõcessa sunt vt ab armis discederent; adeò vt plurimi mirarentur, Henricum Regem vbiq; victorem, nulla necessitate coactum, in hostes suos tam indulgentem fuisse, pacemq; illis tam commodam dedisse.

Sur. in anno 1562.

Quoties permissa Hugonotis in Gallia religionis libertas. Idem anno 1568.

Sed sine fructu pacis publicæ.

Neq; tamen hic finis dissidiorũ fuit, vel solida firmaq; pace animi hominum sunt penitùs tranquillati. Non decrãt Hugonotis causæ, seu potiùs prætextus varij querelarũ,

quibus se deteriori conditione esse, neq; suæ quieti,& paci satis consultum esse, palàm apud Reges querebantur. Eius rei exemplum vnum referre statui ex Rodolpho Boterero Iuriscos. & in Magno Franciæ cõsilio aduocato, qui lib: 2. suæ historiæ anni 1599. narrat homines reformatæ religionis grauissimas Henrico 4. querelas proposuisse, quòd nõ satis prospectum eis esset de ijs,quæ necessaria sunt ad libertatem conscientiarum, & securitatem personarum, fortunarumq; suarum: & supplicationẽ, qua eiusmodi querelæ continebantur,finisse verbis & sermonibus audacioribus & elatioribus, quàm conueniret ijs hominibus,qui volunt apparere moderati & discreti. Aiebant enim se electuros sibi Protectorem,si Rex illorum curam, quam exigebãt, gerere nollet. Porrò prædictus author sic istorum Reformatorũ naturam ibidem depingit. *Natura,*inquit, *hominum & inprimis huius generis Gallorum Reformatæ religioni addictorum, est ingenio esse prompto & difficulter quieto. Nunc grauamina proponunt; pòst supplicationes offerunt; dein' Synodum congregant. Ista publica agitatio ipsis proficua est. Conueniunt, nec priùs conuentum dissoluũt, quàm constituerint, vbi proximè conuenturi sint. Finis omnium congregationum fuit,impetrare à Rege edictum ita clarum,ita expressum, ita particulare in omnibus rebus necessarijs, ne porrò cogerentur perscribere alias pactorum conuentiones: nec cessàrunt, donec Rex subsignauit. Et quamuis difficultates essent ingentes,& conditiones in quibusdam casibus potiores, quàm in prioribus pacis tractatibus; communis quies tamen totius Galliæ quassata & penè profligata, à tragicis impetuositatibus schismatum & diuisionum, fecit necessarium iudicari, quicquid erat iustum, & iustum quicquid erat vtile.* Hæc ille.

Quales Hugonotæ in Gallia.

Atq; hoc idem testatus est Rex ipse Henricus in ea oratione, quam habuit ad Parlamentarios edictum eius de pace cum Hugonotis grauiter ferentes, quam idem author subnectit. Verba Regis sunt; *Dico vobis, me necessitate & publica vtilitate adactum edictum composuisse.* Et iterum: *Necessitas me coëgit vulgare hoc edictum.* Te iudicem voco, Pacate, quàm veram, germanam, firmamq; pacem eam putes, quæ initur

Quam grauatè pax religionis vltima ab Henrico 4. Galliæ Rege concessa.

cum ho-

cum hominibus ingenio promptis, difficulter quietis, querulis & grauamina accusare non desinentibus, assuetis ad conuentus priuatos cogendos: pacem, inquam, eam quàm synceram putes; quæ non impetratur, sed exprimitur; quam non ratio, sed necessitas extorquet; quamq; sola vtilitas publica iustam reddit. Iuuat porrò vnum membrum edicti illius hoc loco inserere, quod tale est. *Statuimus, vt Religio Catholica, Apostolica, Romana restauretur in omnibus locis nostri Regni, & regionum nobis subiectarum, in quibus exercitium eius fuit intermissum; vt ibi liberè & pacificè exerceatur, sine vlla turbatione aut impedimento.*

Putasné, Pacate, hunc articulum seruaturos sanctè & religiosè tuos Hugonotas? Optari potiùs hoc potest quàm sperari. Nam etiam in edicto Pacis ab Henrico III. A. 1577. edito idem cauebatur, scilicet vt Religio Catholica, Apostolica, Romana in omnibus Regni prouincijs, vrbibus, & pagis, vbi eius exercitium intermissum fuerat, restauraretur; neq; tamen huic articulo ab Hugonotis est satisfactum. Testem appello eundem Botereium, qui scribit post illud edictum Anni 1577. in diœcesibus solis Tholosana & Burdegalensi, plus mille parochias & monasteria exercitio Catholicæ religionis caruisse. Si ergo ex præteritis licet de futuris quoq; coniecturam capere, facilè quisq; iudicabit, pacem hanc religionis, non fore veram solidamque, neq; omni prorsus iniuria Catholicæ religionis carituram.

Hugonotæ pacis conditionibus nō stabant.

Relicta Gallia statueram migrare in Belgium, & ostendere tam multis sæpe in ea prouincia repetitis, & iuramento firmatis cum Geusijs pacificationibus, vnionibus, & fœderibus, paci, & trāquillitati communi consultum minimè fuisse; sed bella ex bellis, seditiones ex seditionibus, cædes ex cædibus assiduè natas: sed veritus, ne libellus hic in maiorem, quàm initio statui, excresceret, rem totam silentio supprimo, & lectorem eiusmodi narrationū cupidum ad historicos remitto. Porrò caput hoc concludens, iustè mihi videor posse huc accommodare verba illa Ezechielis:

Decepe-

Ezech: 13. *Deceperunt populum meum dicentes Pax, & non est pax; & ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum cum luto absque paleis.* Verè enim Euangelici decipiunt Catholicos, dum eos ad suum fœdus in religionis negotio pertrahere verbis suauibus conantur, dicentes Pax, sed non est Pax, dicit Dominus.

Confœderatio est paries extructus sine tēperamento linitus luto sine paleis.

Et conantur quidem isti ædificare Confœderationis parietem, cui pacem nescio quam veluti tectum imponāt: sed liniunt eum luto absq; paleis; quia prætermittūt id, quod parietem istum firmum & stabilem reddere solùm potest, vnitatem scilicet religionis, quæ sola si desit, frustra in pariete extruendo laboratur; quia deest temperamentum, & veluti gluten, quod parietis huius partes inter se compaginet, & conglutinet. Sola enim Confœderatio illa inter membra eiusdem Reipub. firma & solida est, quam religionis vnius temperamentum, & veluti gluten coniungit, & firmiter astringit. Nam quæuis alia Confœderatio inter homines religione dissidentes malè concinnata, est paries absq; temperamento, linitus luto sine paleis, cui minatur Deus ibidem: *Dic ad eos,* inquit, *qui liniunt absq; temperatura, quòd casurus sit. Erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem: Siquidem ecce cecidit paries. Numquid non dicetur vobis: Vbi est litura quam linistis?* Hæc cogitare, & imis sensibus reponere deberēt, quicunque de hoc Confœderationis hæreticæ pariete exstruendo cogitationem suscipere volunt, & fidem adhibere Deo affirmanti, illum casurum, neq; vllam firmitatem habiturum.

CAPVT VII.

Euangelicos, vbi rerum potiuntur, libertatem religionis Catholicis non permittere ostenditur.

VEniebat mihi in mentem mirari, Pacate, cur regiones eas, in quibus libertas religionis viget, percurrens prætermiseris Angliam, Scotiam, Daniam, Hollandiam, Zelandiam,

landiam, Sueciam, Saxoniam, Palatinatum Rheni, & similes, nullumq; de ijs verbum feceris: sed suboluit statim ratio, nimirum hoc esse ingenium hæreticorum, vt inter Catholicos vbi degunt, libertatem credendi vrgeant; imò vi & armis extorqueant: vbi verò soli rerum potiuntur, eandem libertatem Catholicis negent; imò seuerissimis pœnis eos, si religionem suam palàm profiteantur, coërceāt. Huius ingenij fuit olim Anastasius Imperator hæreticus, qui cùm alias hæreses Constantinopoli grassari impunè permitteret, solā Catholicā fidē & eius cultores persequebatur. Ad quem ideò Symmachus Papa in hæc verba scripsit: *Cùm in illis regionibus cunctæ prorsus hæreses, opiniones suas habeant publicè licentiam profitendi, sola Catholicæ communionis libertas, putatur ab his qui se religiosos existimant subruenda. Quæ si putatur error, (quod non licèt) cum cæteris quibus illic facultas est agere sinatur erroribus: sin integritas æstimatur, sequenda potiùs fuerat, quàm violenta persecutione vastanda; nec eam probantur insequi potuisse, nisi praua sectantes. At ne ipsi conuincerentur errare, repellere cogitârunt quo notabantur errantes; malentes non assectari quod iustum est, sed potiùs submouere quo docerentur iniusti. Certè si huiusmodi propterea relinquendos proprio definitis arbitrio, quia nec à Christianis vexari deceat Christianos, quocumq; titulo consitentes; nec viuentes in iure Romano, lacerari conueniat à Romanis: consequenter ostenditur Romanos homines, & qualiscunq; professionis impetere; nec Christianum dici posse modis omnibus, nec Romanum. Proinde aut repellendi fuerant; aut nullus penitùs impetendus; & quod in vno genere iudicas amouendum, in omnibus repelle si præuales: si omnia sunt sinenda, nullus penitùs excludendus: alioquin dum parcendo cunctis erroribus sis amicus, nonnisi solùm tibi probatur displicuisse quod verum est. Non mirum si in Orthodoxos sæuiant, quibus potest cum cunctis hæresibus conuenire; & vniuersis erroribus amici, non possunt nisi solis esse non errantibus inimici. Prauitatis complex non potest nisi eum persequi, qui est prauitatis inimicus.*

Baron. A. D. 503.

Hæreticorum mos permittere hæreses omnes, excepta sola Catholica veritate.

Non potuit hæreticorum ingenium explicari diuiniùs: Amicè agunt illi inter se, quamuis fide dissentiant: &

patiuntur quemq; pro libitu errare, & errorem suum inter alios vulgare; cum solis Catholicis in pace viuere, & eos pari cum alijs iure gaudere, pati non possunt. Ita illos instituit veritatis inimicus diabolus; vt errores omnes tolerent, veritatẽ solam Catholicam oderint, & tolerare nullatenus velint. In hoc ludo præclarè sunt instituti nostri temporis hæretici, vbi rerum potiuntur, & habenas Regnorum & Rerumpub. tractant. Nam Catholicæ religioni adeò aditus ad se omnes præcludunt, adeò custodijs accessus omnes seruant, vt liberè intus penetrare, & se luce palàm ostendere non possit. Fecerunt hoc in Anglia, cùm aliâs semper, quoties regni illius gubernacula tenuerunt, tum verò paucis abhinc annis, cùm Catholicis postulantibus, vt eis religionem suam & fidem, palàm & liberè exercere liceret, eam libertatem obstinatissimè negârunt; quin & rationes, quibus in suam eos Catholici sententiam pertrahere conabantur, dissoluendas sibi omni ope, & quidem scripto publico putârunt. Rem istam paulò fusiùs placet narrare, eò quòd non iniucundam, nec inutilem lectu, Catholicis arbitrer futuram. Anno ergo 1603. initio Regni moderni Iacobi Angliæ Regis, Catholici per Angliam hinc inde dispersi, postquam Regi thronum regium essent gratulati, supplices rogârunt vt integris sibi liceret vti religionis suæ exercitijs, libello concepto in eandem sententiam ei oblato. In eo cõmemorârunt inter alia, Angliam omnem, quantum ad religionis attinet negotium, in quatuor præcipuè factiones (exceptis alijs minorum gentium) esse diuisam. Primam esse Protestantium: secundam Puritanorum ex priore exortam: tertiam tenere atheos & politicos, infelicem dissidiorum in causa religionis sobolem & propaginem: quarto loco esse Catholicos, qui vt ab omnibus illis & singulis dissentiunt; ita quoq; ab omnibus illis & singulis, communi quodam eos odio exagitari: nec id mirum, quandoquidem error veritatis semper hostis extiterit. Sectas has vel factiones, nec ex toto, nec ex parte, facilè extirpari posse: illud ergo se di-

Catholici in Anglia postulârunt libertatem religionis à Iacobo Rege per supplicem libellum.

go se dicebant à Maiestate Regia suppliciter petere, vt fidē suam sine vlla tergiuersatione paratis profiteri, eandem libertatem, quam cæteris aduersarum religionum sectatoribus permittat: æquum esse si eodem modo, quo ipsi vel etiā multò minùs, aut omnino non errēt, vt vel parem, vel minorē, vel nullam omnino pœnā sentiant. Regem Galliæ hac ratione patris patriæ nomen & pyramides consecutū, quòd vt regnum ciuilibus bellis distractum atq; pessundatum, rursus quasi coagmentaret, etiam eos qui diuersam religionem sequuntur, ferendos esse lege sanciuit, eiusq; vsurpationem illis concessit: non alterius se religionis publicum exercitium postulare quàm eius, in qua Regis maiores omnes, à temporibus Donaldi primi Regis Christiani, vsq; ad matrem eius vitam finierunt; religionis scilicet eius, cui propter antiquitatem veneratio, propter amplitudinem honor, propter temporis diuturnitatem, & immotam constantiam, sūma perfectionis laus debetur: quæ amata sit & culta ab omnibus pastoribus: confirmata Concilijs, à patribus & primitiuis Ecclesiæ Doctoribus contra omnes hæreses; à primis Christianissimis Imperatoribus contra vim tyrannorum, propugnata & defensa; repetita in Ecclesiasticis historijs; multorum millium martyrum sanguine obsignata: tot cōfessorum ornata virtutibus; tot virginum innocentia & castitate illustrata: quæ deniq; rationi cōgruat, & Dei verbo, sanctissimoq; Euangelio consentiat. Talis religionis exercitium, si non locis publicis, domi saltem suæ; si non liberrimè, saltem sine iniurijs & molestijs, vt sibi vsurpare liceat sese flagitare.

Libellum hunc supplicem acceptum Rex, Protestantibus statim exhibuit, iudicium ipsorum de illo exploraturus, qui eadem penè forma alium ei oppositum, Regi obtulerunt. In eo scripserunt Angliam omnem, quantum attinet ad religionis negotium, in duas præcipue factiones esse diuisam: primam esse Pontificiorum, qui posterioribus Reginæ defunctæ temporibus, ob neglectum bonum ordinē, & non ob-

Protestantes Angli cōtrarium libellum Regi exhibēt.

Protestantes pugnãt contra Catholicos verbis Apostoli, ne libertatem religionis eis permittant; quæ tamen eadem verba, quando à Catholicis producuntur, contra se nolunt valere. vide cap. 1.

Religio Catholica vocatur idololatrica à Protestantibus.

Protestantes Angli vnicã tantũ volunt pati in regno religionem.

Protestantes Angli soluũt argumenta Catholicorũ pro libero exercitio Religionũ Catholicæ.

Primum.

& non obseruatam rigidè iustitiam in Regno, mirũ in modum creuerunt: alteram esse Protestantium, qui velut repugnantes & contrarij Pontificijs, odio & inuidiæ ipsorum semper expositi fuerunt; quandoquidẽ error, veritatis semper hostis extitit. Factiones has duas, simul subsistere non posse: quid enim veritas cum mendacio habeat commune? quid commune tenebris cum luce? quid Christo cum Belial? quid fides cum incredulitate habeant commune? quid Christiani Protestantes, cum Pontificijs idololatris? Tantum igitur fauoris & beneuolentiæ petere sibi à Rege præstari, quantum alij principes, qui diuersæ sunt religionis ab ea, cuius exercitium in Anglia publicè viget floretque, subditis suis præstant atq; concedunt. Alij Principes liberum Protestantibus religionis exercitium non permittunt, vt Deo suo in spiritu & veritate seruiant, Pontificijs suis subditis permixti: sperare igitur & se non permissum iri à Regia Maiestate Pontificijs, vt Deum idololatricis suis cultibus blasphement, & contumelia afficiant, Christianis eius subditis permisti. Si Iehoua Deus est, sequendum illum; si autem istorum Baal, sequendum illum, consilium fuisse Eliæ populo Israëlitico communicatum. Atqui duas diuersas in regno admittere religiones, nihil aliud esse, quàm inter duas opiniones incertum pendere. Se nullum alium fauorem aut gratiam à Rege postulare, quàm vt auctor sit subditis suis, vt Dominum & faciem eius constanter quærant, religionem falsam impediat, & faciat, vt in omnibus totius regni locis, ametur & propagetur vnica & vera religio.

Libello huic Protestantes examen etiam adiunxerunt rationum, propter quas Catholici exercitium religionis suę liberum sibi permitti petierunt, additis simul responsionibus, cur Romanæ Catholicæ religionis exercitium, in Anglia ferendum minimè putarent. Argumẽtum primum Catholicorum erat, quòd paratissimi sint ad debitam obedientiam & seruitia quælibet Regi præstanda. Respondent Protestantes, id intelligendum esse cum conditione, si exer-

si exercitium religionis suæ Rex ipsis permittat: sin minus proditionem eos more ipsis consueto, aduersus personam Regis molituros. Interim tamen obedientiam & seruitiorũ debitorum declarationem, causam sufficientem non esse, vt propter eam Rex idololatriam, & pugnantem cum verbo Dei Pontificiorum doctrinam, in Regno suo admittere & tollerare debeat. Argumentum secundum Catholicorum erat, quòd multum laboris & operæ insumpserint in tuendo iure Regis, & sceptro ipsi conciliando. Responderunt Protestantes, id eos fecisse non propter conscientiam aut iustitiam, sed spe obtinendi permissionem exercitij religionis suæ, iuxta illud Iudæ: *Quid vultis mihi dare, & ego tradam? &c.* Sed posito eos adhibuisse diligentiam aliquã in promouendo Rege, fecisse tamen illud ex debito, nec propterea exercitium idololatriæ posse concedi, cùm in diuini nominis contumeliam illud vergat. Tertium Argumentum Catholicorum erat, quòd Puritani & Athei in Anglia tolerentur, ergo multò magis Catholicos esse tolerandos. Responderunt. Ex Puritanorum toleratione non sequi Pontificios etiam esse admittendos, cùm Puritanorum religio, non sit vt Pontificiorum, verbo Dei & Maiestati diuinæ, itemq; maiestati & dignitati Regis contraria: nec verò numerus malorum subditorũ multiplicari debeat. Atheos qui publicè quidem impietatem suam profiteantur in Anglia non reperiri, sed tamen periculosiorem esse Pontificiorum, quàm Atheorum, propter simulatam pietatem & perfidiam, admissionem. Quartum Argumentum. Regẽ Galliæ vtriusq; religionis exercitium liberum fecisse, eamq; pacis in regno eius iam vigentis causam esse. Respõderunt. Admissionem contrariæ religionis in Gallia, ex necessitate factam: præterea non exemplis, sed regulis iudicandum esse. Regem quidem Galliæ cum Pontificijs facere, & propterea alijs in negotio religionis, præiudicare non posse. Ipsum quidem permittere exercitium religionis per se sanctæ & iustæ; inde autem non sequi, Regem Angliæ debere

Secundum.

Tertium.

Protestantes Angli, præferunt Atheos Catholicis.

Quartum.

Iidem religionem Catholicã vocant per se Antichristi.

 admittere

anam & impiam. admittere exercitium religionis Pontificiæ, per se Antichristianæ & impiæ, cum dedecore & periculo coniunctæ.

Quintum. Quintum Argumentum. Religionis Pontificiæ exercitio admisso, liberandam Angliam odio Christianarum nationum, cui propter persecutionem Catholicorum iam sit exposita. Responderunt. Angliam non persecutionem Catholicorum instituisse, sed proditores puniuisse; & admittere Pontificios, vt odium & maleuolentia quorundam vitetur, idem esse ac incidere in Scyllam vt Charybdin vites.

Sextum. Sextum. Permissionem hanc facturam ad abrogationem insidiarum, à Catholicis Angliæ Regno hactenus structarũ. Responderunt. Non esse facienda mala vt eueniant bona; permissionem autem idololatriæ omnium cõfessione malam esse. Cumq; duorum malorum minimum semper eligendum sit, insidias istas corpori saltem & fortunis, permissionem idololatriæ, animabus perniciosam esse.

Septimum. Septimum. Permissionem hanc gratam fore, & acceptam omnibus Catholicis Principibus. Responderunt. Causam iniustam & impiã, non esse in gratiam Catholicorum Principum promouendam. Iudicare enim ipsos debere, an sit iustum in conspectu Dei, hominibus magis obedire quàm Deo, cùm non sit quærendum vt hominibus, sed vt Christo placeamus.

Octauum. Octauum. Facta hac permissione, omnes totius Angliæ subditos, gratos Catholicis & acceptos fore, quos veluti detestabiles passim abominantur. Responderunt. Angliæ subditos, non aliã ob causam, quàm propter religionem Catholicis inuisos esse: dissensionem verò in religione, consensionem animorum non admittere, quòd nullus sit fidus eorum affectus, quorum diuersa fides existit, vt Hieronymus dixit. Nec verò esse peccatum, cõmodi alicuius consequendi causa faciendum: nec mala in Repub. spe incertæ gloriæ, & dignitatis permittẽda esse.

Nonum. Nonum. Ex hac permissione certò secuturam pacem. Responderunt. Imò contentionem, odium, & inuidiam; atq; ita bellum potiùs quàm pacem inde secuturam; præsertim

sertim cùm veritatem odisse Papa non desinat, & Catholici obedientiæ eius non renuntient. Impossibile certè esse, vt permissionem hanc vera pax & cõcordia sequatur: cùm ea peccatis in Deum non sit concilianda aut promouenda; & non immeritò Irenæus dixerit, maledictam debere esse omnem concordiam, quæ destituta sit synceritate veritatis. Qui hæc fusiùs legere volet, legat tomum quintum Mercurij Gallobelgici à Gotthardo Arthus Dantiscano editi, & Francofurti Anno 1613. impressi.

Protestantium Anglorum argumenta, contra permissionem exercitij Catholicæ Religionis.

Sed nõ prætcribo nonnulla hoc loco argumenta, ex ijs quæ tum Protestantes Regi proposuerunt, quibus probare conati sunt, Religionis Catholicæ exercitium in Anglia non esse admittendum. Primum. Admissione Pontificiæ religionis Deum offendi, cùm nihil aliud sit quàm permissio impietatis & idololatriæ; qua fieri non possit, quin ad iram Deus commoueatur. 2. Oportere Regem insistere laudatissimis Regum veteris testamenti vestigijs, qui commendantur in Sacris literis, propter abrogationem, non autem propter permissionem & propagationem cultuum idololatricorum: propter permissionem & propagationem contrariæ religionis, & cultuum idololatricorum, Reges veteris testamenti in reprehensionem incurrisse, vt ista permissio Angliæ Regi meritò vitanda sit. 3. Duabus sedere sellis, & dubium inter duas pendere opiniones, neutriq; parti adstipulari velle, Regium non esse; quod quidem faciunt, qui duas diuersas religiones admittunt. 4. Permissionem Pontificiæ religionis facere, ad Pontificios in superstitione & impietate sua confirmandos, de quibus conuertendis alioqui spes aliqua superesset. 5. Eandem permissionem non decere Regiam in Anglia maiestatem, quæ semper à veræ religionis partibus stetit; & in compensationem laboris studiiq; sui, pro veritate hactenus insumpti, tali iam Regno præfecta est, in quo Euangelium probè plantatum, radices iam satis firmas egit; vt quod ei contrarium est, admittere minimè debeat. 6. Permissionem

istam

istam non facere ad stabiliendum Regnum & Regem tuendum; cùm impossibile sit vt Pontificij subditos sese pro-
7. testantibus Principibus fideles præstent. 7. Permissioné istam causam præbere seditionibus & tumultibus, cùm cótraria sit constitutionibus aduersus Pontificios iam factis.
8. 8. Permisso hoc exercitio, futurum vt Pontificij religioné
9. veram detestentur, & Protestantibus insultent. 9. Pontificios ipsos Regem illum atheum pronunciare, qui contrarias religiones in regno admittit; vt ludibrio Regem habere videantur, qui libertatem & permissionem istam ab
10. eo expetunt. 10. Impossibile esse, vt Rex aliquis inter cótrariæ religionis subditos, tutus & securus viuat, vt proditores non immeritò Regiæ Maiestatis censendi sint, qui eã scientes in tantum adducere periculum non vereantur.
11. 11. Omnes Reges & Principes Christianos obligatos esse ad persequendam, & modis omnibus excruciandam meretricem Babylonicam; non decere igitur vt à Rege in An-
12. gliam recipiatur. 12. Papam in nullis regionibus ipsi subiectis liberum Protestantibus permittere exercitium; non igitur esse concedendum, vt parasiti eius, libertate eiusmodi apud Protestantes Principes fruantur, iuxta illud: Eadem mensura &c.

Decretum tandem latum contra Catholicos à Rege Iacobo.

Hæc tum in Anglia in causa Catholicorum pro & cótra disputata, & Regi æstimanda oblata sunt: qui re diutiùs deliberata, tandem anno insequenti 1604. omnes Ecclesiasticos Catholicæ religioni addictos, è regnis suis ante 19. Martij excedere, publico edicto decreuit & iussit; hac inter alias adiecta ratione, quòd Regij muneris non postrema pars sit cauere, ne subditi prauis religionibus aut superstitionibus imbuantur; id verò aliter fieri non possit, quàm si eorum Ministri procul arceantur. Quàm doleo miseram vicem Catholicorum illorum, vel hoc potissimùm nomine, quòd in te, Pacate, patronum & aduocatum illo tempore non inciderunt. Tu enim sine dubio, alio argumento libellum supplicem Regi Angliæ porrexisses, in quo mul-

quo multis rationibus ei suasisses; vt Catholicis liberũ exercitium religionis ipsorum in Anglia permitteret: *inculcâsses præceptum Apostoli esse de pace cum omnibus hominibus habenda: Catholicos pacem sectari; pacem cum omnibus colere: pro Regis & Regni salute vota fundere velle: neminem eos inuitum in suam sententiam pertracturos; sed solùm Protestantibus à fide ipsorum alienis suæ causæ æquitatem, ipsorum verò iniquitatem, publicè demonstraturos: infirmiores in fide assumpturos & confirmaturos; à se suisq; vim & iniuriam prohibituros: inculcâsses non esse incredibile in diuersitate fidei mutuam pacem coli posse; imò cum omnibus colere debere Christianos, & coluisse olim Sanctos multos, Abrahamum cum Abimelecho, & cum eodem Isaacum, Iosue cum Gabaonitis pacem fecisse, fidelem cum infidelibus: cumq; pacem & fœdera inter diuersæ religionis homines olim inita seruataq; fuerint, dixisses te non videre; cur non & in Anglia inter Catholicos & Protestantes fieri possit: imò fieri posse demonstrâsses, non Poloniæ solùm, sed & vtriusq; Germaniæ, Galliæ, ipsiusq; adeò Italiæ exemplo, quæ regiones si perlustrentur quẽlibet visurum in vna sæpenumero ciuitate, non duarum, sed & trium, nonnunquam & quatuor confessionum homines pacem tamen colere, in vno sæpe templo diuersa sacra celebrare.* Neque his contentus, argumenta contrariæ partis diluisses, illud præsertim quod Angli Protestantes ex verbis Apostoli sumebant, ad ostendendum non posse vlla firma pace Catholicos cum Protestantibus coniungi. Dicebant illi: *Quid commune Christo cum Belial?* respondisses tu; *hæc Apostoli verba nihil esse ad rhombum, ne syllabam vnam, nedum voculam eo loco Apostolum protulisse, quæ ad Protestantium Anglorum propositi confirmationem facerent.* Quod si illi dixissent, pacem Catholicorũ cum Protestantibus, esse pacem Christi cum Belial; reposuisses illis tua illa acuminis plenissima verba: *Quid magis mirer, ô impacati Protestantes Angli, imperitiam vestram, qui inter pacem Dei internam, & conscientiæ, & inter politicam externamq; distinguere nesciatis; an potiùs liuorem, qui scientes ea distinguere nolitis, quæ quàm maximè sunt distinguenda? Sed video vos mali coci more, multa simul iura miscentis in olla, Dei Regnũ cum politia eiusq; pace con-*

Pacati oratio pro pace Euãgelicorum in Polonia, inuertitur pro pace Catholicorum in Anglia.

pace confundere. Hæc ſcripſiſſes in illo tuo ſupplici libello pro Catholicis, ſi te patronum & aduocatum in Anglia nacti fuiſſent. Exiſtimo enim te non fuiſſe mutaturum ſententiam tuam in Anglia, quam retines in Polonia de libertate religionis: & iudicaturum quod nunc iudicas, fœderari inter ſe Catholicos cum Proteſtantibus poſſe; & orationem tuam quam in Polonia pro tuis Euangelicis valere debere putas, in Anglia quoq; Catholicis præſidio eſſe debere, Paulum vtrobiq; eodem modo exponendum: eandem eſſe Proteſtantium & Catholicorum vtrobiq; rationem: eademq; vtroſque, vtrobiq; defenſione meritò vti oportere. Imò perſuadeo mihi, te per Dei hominumq; fidem tum obteſtaturum fuiſſe Proteſtantes Anglos, ne ſupplicem libellum ſuum, quem contra Catholicos regi obtulerunt, vulgarent, & communem alijs regionibus facerent; ne ſcilicet Catholicis aliarum regionum argumenta & reſponſiones ſuppeditarent, quibus Euangelicis libertatem religionis apud eos poſtulantibus ſatisfacerent, preceſq; eorum eluderent; nouiſſimum hunc errorem peiorem futurum priore dixiſſes, & caſuros Euangelicos in foueam quam Catholicis præparâſſent. Hanc futuram fuiſſe tuam mentem in Anglia, non dubito, Pacate, ſi te aliqui tum venti Catholicis propitij eò appuliſſent. Niſi fortè ſententiam cum cœlo mutaſſes, & exiſtimaſſes retinendum illud vulgare monitū;

Cùm fueris Romæ, Romano viuito more;
Cùm fueris alibi, viuito ſicut ibi.

& induxiſſes in animum, aliam cantilenam canendam eſſe in Polonia de libertate religionis concedenda; aliam in Anglia de neganda: & ex verbis Pauli aliud colligendum & ſentiendum in Polonia, aliud in Anglia. Iudicent tui Symmyſtæ qualem te præſtitiſſes; & num virum bonum & apertum, minimeque ſimulatum, & ſententiæ retinentem in Anglia, an Protheum aliquem & Sycophantam potiùs egiſſes, & te ad aliorum opinionem ſenſumq; non grauatè inflexiſſes. Atq; hæc dicta ſint breuiter de Anglia, ex qua libertas religionis prorſùs exulat. De

De Hollandia & Zelandia idem esto iudicium. Prodijt nuper, id est Anno 1613. libellus breuis Moguntiæ ad exemplar Embdanum recusus; cui titulus est: *Edictum generalium Ordinum fœderatorum Belgij Prouinciarum, in articulos fideliter distributum; cum epistola monitoria, pro religionis pace & libertate.* Huius libelli author fusè ostendit, Catholicæ religioni ad Ordinum fœderatorum terras & loca, aditum non patere, imò seueriùs longè nunc à fœderatis in Catholicos inquiri, quàm ab Hispanis olim in Reformatos inquisitum fuisset: sed ipsum præstat audire. *Quartus*, inquit, *& quadragesimus nunc annus agitur, cùm externorum internorumq; viribus oppugnamur, omnium in nos nationum arma stringuntur; terra validissimis copijs cingimur; mari instructissimis classibus premimur: supra centum auri Indici milliones in hanc militiam insumpti sunt. Tandem aliquando postquam tot vires virosq; pro exiguo patriæ fundo periclitati sumus; postquam tot annis, tot bellis intestinis tantum sanguinis profudimus, illam quam sequebamur religionis libertatem sumus assecuti. Habemur iam instar liberæ, & nulli nisi Deo subiectæ Reipub. pacifico pacto fœderatæ. Quid deinde? Nunc animos illos nostros, nunc arma in ciues, in viscera nostra vertimus. Priusquam ciuile classicum Anno 1567. insonaret, nil aliud voces, nil aliud libri clamabant, quàm cogi nos vel inuitos ad arma sumenda, ad ferro decernendum, contra legitimos Dominos ac Principes, pro vindicanda conscientiæ libertate. vna protestatio erat omnium, vnicam quæri in fidei religionisq; rebus conscientiæ libertatem. Hanc tot vicinorum Regum ac Principum auxilijs inuenimus, inuentam tamen à ciuibus nostris possideri nolumus. Maledicis clamoribus Inquisitionem Hispanicam proscindebamus, eam veluti verbo Dei, moribus Ecclesiæ, rectæ rationi repugnantem damnabamus: fidem liberam esse, salutem in manu ac consilio nostro à Deo positam esse: nefas esse quenquam ad fidẽ cogi alienam, aut in sua impediri: licere cuiuis eam fidem sequi, quam priuatus cuiq; spiritus, iuxta scripturæ normam rectam exactamq; diceret: fidem donum esse ita liberum, vt ex arbitrio nostro fas sit hanc amplecti, illam repudiare, eaq; in re standum esse testimonio nostræ conscientiæ, & Sacræ scripturæ iudicio. Quas nos querelas, quæ probra*

Querela cuiusdã de Hollandis, libertatem Catholicæ religionis permittere publico quodam Edicto nolentibus.

Hollandi initio petebant religionis libertatem à Catholicis: nunc eandem ipsis negant.

Quæ olim querebãtur

sibi fieri ab Hispanis, nunc eadē & deteriora faciunt Catholici.

aduersus Hispanicam inquisitionem iactabamus? Ab illa tot mulctas pecuniarias, tot grauia & acerba edicta, tot vitæ ac fortunarum spoliationes, ad perturbandam liberæ religionis pacem, cùm iniquo ferremus animo; semper querebamur domos nostras perlustrari, à Prætorum satellitibus nos opprimi, multa nos inaudita, multa indigna, multa nō ferenda per summam iniuriam pati.

Enimuerò illam iam nacti libertatem, nos ipsi non Hispanica modò, sed & Hispanis longè crudeliora media adhibemus, minamur, mulctamus, exilia, exhæredationes, compedes, laqueos, ferrum, ignem, ostentamus: liberam religionem in seruitutem redigimus. Molestissimum ducebamus turbari nos in audiendis peregrinis, è Germania & Gallia Doctoribus, qui verbum Dei peregrino, & antea nō vsitato ritu explicabant: quia liberum cuiuis esse deberet, ea audire, ea sequi, quæ in ista fidei libertate, conscientia teste, ad salutem opportuna viderentur. Nunc verò omni legum seueritate cauemus, ne Doctores, non dicam externos; sed nec ciues aut consanguineos nostros liceat audire, domo excipere, alere, iuuare: imò verò cogimus apposita graui pœna, eosdem prodere & accusare. Hoc in concione plenis buccis, hoc in orbe terrarum plenis libris promulgabamus, Tyrannicum, seditiosum, impium esse Hispanicæ Inquisitionis tribunal, constitutum à barbaris & sanguinarijs fidei hostibus, quia mortis metu proposito, & fortunarum spoliatione cruciabant eos, qui fidei leges & edicta violassent. At nos iisdem pecuniarum, & capitis edictorum minis armati, in eos incurrimus, qui nostras leges in fidei negotio transgrederentur: imò verò parentibus, ac tutoribus, ne pueros foris alant, sub exilijs & exhæredationis pœna interdicimus, & donationes omnes eorum qui foris degunt, irritas esse iubemus. Accusabamus Hispanos, quòd antiqua priuilegia libertatis nostræ abrogarent, quòd pacta conuenta etiam iuramento firmata pro sua libidine dissoluerent, quoties id bono Reipub. & destinatis eorum consilijs conducere videbatur, in rebus duntaxat ciuilibus. Nos qui toties grauissimas in fidei rebus, & iureiurando sancitas conuentiones pro nihilo duximus, quid ad purgationem nostram proferemus? Si turpe est, imò impium, fidem in negotijs ciuilibus etiam hosti datam fallere; quid de cœlestibus & diuinis rebus arbitrandum putamus? Nonne memoria tenemus promisisse nos solenni ritu, Anno 1577. 22. Ia-

Hollandi iuratā Catholicis pacem religionis nō seruant.

nuarij

nuarij Harlemensibus omnibus, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, fœminis æquè ac viris, permissuros nos exercitium Romanæ religionis, & quotquot hanc religionis libertatem vllo modo turbaturi essent, supplicijs debitis cohibituros: Idem eodem anno 22. Martij, Goesanis & Zuistberuelandis diserta formula confirmasse? Quid quod articulo primo Anno 1577. 9. Octobr. in eandem sententiam Vltraiectensibus iurauimus? longè etiam expressiùs Anno 1578. 8. Febr. in primo articulo, Amsterlodamensibus sacramenti religione obstricti tenemur, nullam aliam præter antiquam Romanam, Catholicam religionem promulgatum iri, eos etiam qui quauis via Catholicam, Romanam religionem impedirent, veluti perduelles Reipub. hostes, & publicæ pacis perturbatores esse puniendos? Age verò, dispiciamus quomodo edictum recens cum iuratis promissionibus consentiat.

Venit mihi in mentem, quando illis miseris temporibus Hispanorum quidam ad clementiam procliuiores rogabantur; quorsum tam seueris edictis, austerisq; remedijs fidem vnam vellent persuadere, & omnes ad eam religionem cogere, quam à maioribus accepissent: neque paterentur quemq; illam fidem amplecti, quàm conscientiæ testimonio optimam iudicaret? respondisse: Nefas esse varias religionũ sectas vno in regno ab vno Principe permitti, eam rem vt aiebant, planè esse materiam status. Ad hoc responsum reclamabamus omnes: Fas non esse ob vllam materiam status quempiam cogi ad vllam rem, quæ fidem ac salutem nostram spectaret; Turcarum esse, tyrannorum esse ista decreta, si quis in sua conscientia libera vim pateretur, & vel ad vnam fidem cogeretur, vel alteram vetaretur amplecti, quam saluti suæ opportunam existimaret. At nunc eundem cum Hispanis funem trahimus, idem iudicamus, & vnam in vna Repub. duntaxat religionem admittere, materiam status esse pronunciamus; cùm tamen inter nos tot sint discrepantes de fidei summa sententiæ, vt numerum non facilè recenseamus. Patimur viuere inter nos Anabaptistarum sectas supra triginta: Lutheranorum sex & amplius dissidentia inter se sunt placita: Caluinistæ iam nonnulli è diametro sibi oppositi sunt: his omnibus licet inter nos degere; & quis non videat tanta in pugna tot opinionũ, materiam status quietè non posse consistere? Ego quidem arbitror in alium scopum hæc edicta spectare; in eum videlicet, quem paucis ab

hinc annis, non vltimæ notæ vir huic patriæ addictus, apertè ostendit. Is enim rogatus, quamob rem antiquam Romanam Catholicam religionem non liberè in hac patria admitterent: respondit; quia verò tunc breui temporis spatio, tota se patria Pontifici Summo submitteret, in illam Patrum suorum fidem velut postliminio reuersa. Cæremoniæ enim Romanæ Ecclesiæ eiusmodi sunt, vt eæ solæ nullo adminiculo sufficiant ad suscitandam sepultam maiorum fidem, ex qua quantum Resp. publ. nostra, & gubernandi ratio detrimenti caperet, nemo non videt. Itanè verò? paucis hîc ego rogabo. Si de Martini, Caluini, Mennonis doctrina, idem fortè olim Hispani dixissent: an nos id æquis auribus accepissemus? an non inclamassemus omnes: Non licere quenquam ad fidem cogere ob vlla Reipub. commoda, ob vllum bonum materiæ status, nec vlla humana consilia valere posse, ad promulgationem cuiusuis fidei impediendam: libertatem fidei supra omnem materiam status eminere: Materiam status humanam esse, fidem diuinam: vbi humana cùm diuinis in disceptationem veniunt, hæc illis esse superiora. Quodsi tūc, vt facere solebamus, talia nos ingeminassemus; cur obsecro nunc à sententia nostra in causa salutis tam procul discedimus, & ita repentè ex placidis Belgis in Hispanos transformamur? Fuit aliquando tempus, cùm Ducem Albæ conuitijs laceraremus eò, quòd censui, fundosq; nostros multis exactionibus, decimatione etiam oneraret. Inprimis quia inuehebat inquisitionem Hispanicam, mulctas pecuniarias, capitales pœnas; si quis in fide deliquisset; si quis clandestinos conuentus coëgisset: quia carceres minabatur, & exilia, aduersus conscientiæ libertatem edicta promulgando; castigabat eos, qui vetitos hæreticorum libros legerent. Talia edicta tunc quidem legitimam occasionem rati armorum ac belli, aduersus Dominum ac Regem nostrum, suppetias implorauimus multorum Christiani orbis Principum. Querebamur videlicet nos opprimi, libertatē eripi; cùm tamen nunc ipsi longè atrociora designemus; non tantùm decimum nummum pendimus, sed vltra quintum. Interdicimus conuenticula in materia fidei: punimus transgressores inquisitionalium nostrorum edictorum: punimus eos, qui intra priuatos parietes modestè legunt libros antiquæ Hollandicæ Romanæ fidei: punimus eos, qui maiorum fidem nobis proponunt, exponunt, promulgant; & si quis eosdem audiat, hospitio excipiat, eleemosynis

Cur Hollādi nolint pati Catholicam religionem.

mosynis iuuet; nos statim pœnas graues, confiscationis, exilij, carceris, capitis, & alias eiusmodi acerbissimas comminamur. Quis hîc iam desideret Hispanicam inquisitionem?

Age verò, si lubet, Hollandhispanici illius decreti sententiã audiamus. pponam rem totam clarè, vt intelligas; distinctè, & in articulos quosdã distributè, vt memoria cõplectaris. Vetamus, ac interdicimus tam in vrbibus, quàm in agris, ne vllus, siue inquilinus, siue aduena, in vlla Ecclesia, aut priuatis domibus, vel fundis, in nauibus, vel cymbis, vllum conuentum habeat, vel colligat ad Missas, aut alia exercitia Pontificiæ superstitionis, exhortationes, lectiones faciendas siue audiendas. *Articuli Hollandhispanici contra Catholicos.* *Primus.* Adhæc prohibemus quæuis conuenticula, aut congregationes hominum religioni Romanæ addictorum, tametsi nec intersit Sacerdos nec Monachus, nec alius quisquam, qui ante dicta exercitia, exhortationes, vel lectiones faciat, seu clàm, seu palàm, quocunq; id prætextu fiat. Et tam congregantes, quàm adiuuantes, multatos volumus ducentis florenis, exigendis ab eo cuius in domo, agro, naui, cymbaue ista contingent. *Secundus.* Qui Missam fecerit; qui exercuerit Pontificias superstitiones; qui exhortationem, lectionem, prælectionemuè habuerit; si ex alia regione aduenerit, in perpetuum exilium relegabitur, pœna corporis indicta, addita damnatione arbitrariæ satisfactionis. Si verò isthic domicilium habeat, cogetur exire sine spe redeundi, sub pœna æterni exilij publicè indicendi; et si tunc redeat, castigationis etiam in corpore: priuabitur quoq; omni beneficio, & alimetatione, si quam habeat; nec licebit cuiquam talem in vrbibus, alijsuè locis harum Prouinciarum, admittere; hospitioue, domoue, aut horto excipere; statuta pœna in delinquentes, si prima vice receperint, 100. florenos; si secunda, ducentorum; si tertia, trecentorum cum exilio, vt antè diximus. *Tertius.* Qui audiendæ Missæ, Pontificiarum superstitionum, lectionum, exhortationum, prælectionum exercitijs quocunq; modo affuerint; amittet beneficia omnia, & alimentationes, si quas habent: pendent etiam 25. flor. toties quoties, vel in ipso facto deprehensi fuerint, vel post factum proditi. *Quartus.* Præterea ordinamus: vt quicunq; prætexentes Romanam religionem coram Sacerdote, vel Monacho, matrimonium, vel baptismum iterabunt, multam 100. flor. cum arbitraria castigatione subeant. *Quintus.*

Mitto

Mitto alios articulos eiusdem edicti breuitatis causa. Ex quibus omnibus liquet, quidnam Magistratus & Principes hæretici de libertate religionis & fidei statuant, ac decernant; quamq; grauiter in Deum peccent illi frigidi Catholici, qui se religionis vnius conseruandæ studio, ab hæreticis superari permittunt, & segniùs pro pietate & veritate, quàm illi pro impietate & errore decertant. Quos equidem censeo admonendos illis grauissimis Hormisdæ Pontificis verbis: *Prouisa remedia illa animi virtute defendite, qua in ipsorum euersionem videtis hæreticos impietate pugnare. Non sit pigra veritatis assertio. Quo studio oportet salutem diligi, cùm videatis perditionem mortiferam sic amari? Pudeat segniter asseri veritatis leges, cùm tam pertinaciter defendantur errores.* Illud etiam non obscurum est, cur Pacatus noster, cùm regiones varietate religionum distractas numeraret, in quibus hæretici Catholicis permisti versentur, silentio presserit Angliam, Hollandiam, Zelandiam, & similes. Intelligebat enim supersedendum sibi esse ab earum regionum cōmemoratione, ne causam suam apud Catholicos peritiores deteriorem faceret; rudioribus autem, locorumq; & legū externarum ignaris eo silentio faciliùs imponeret.

Turpe est Catholicis in studio Religionis ab Euãgelicis superari.

Apud Baro. Anno 518.

CAPVT VIII.

Quidnam ex sensu & doctrina Euangelicorum respondendum sit eisdem, libertatem religionis à Catholicis postulantibus.

Complures Catholici in ea sunt opinione, vt existimēt libertatem religionis à solis ijsq; feruentioribus Catholicis improbari: cæterum Euangelicos omnes conuenire inter se, de eiusmodi libertate permittenda, videriq; eos non contemnendis rationibus niti, & Catholicos aliquos, præsertim Iesuitas, nimis præfractè eisdem resistere. Sed hi in magna ignoratione versantur, vtpote qui libros Euãgelicorum

gelicorum non attigerint (à quibus iure optimo tanquam matris Ecclesiæ obedientes filij legendis abstinent) nec intimos & reconditos ipsorum sensus pernouerint; quos ipsi non vbiq;, sed vbi eis commodũ & opportunum visum fuerit, aperiunt. Statui itaq; ipsorummet Euangelicorũ doctrinam & sensum de hac re proponere ; & ad eas, quas nobis ingerũt & toties obtrudunt pro libertate fidei rationes, eorundem responsiones in medium afferre : vt in promptu Catholici habeant quod ipsis opponant, seq; ab eorum friuolis ratiunculis tueantur.

Prodijt non ita pridem Politica Ioannis Althusij Hernbornæ Nassouiorum excusa, in qua ille multa de Ecclesiæ regimine, gubernatione, & defensione, Euangelico spiritu plenus scribit. Sed quæ ad nostrum institutum pertinent, visum est eiusdem verbis referre. Ergo ille cap: 28. de administratione Ecclesiastica sic instar alicuius legislatoris sancit: *Magistratus proponet edicta publica, de exterminanda, & abolenda omni doctrina impia, verbo Dei non consentanea, eiusq; vsu & exercitio, sub pœna grauissima, omnibus & singulis Regni membris interdicet. Deinde instituet diligentissimam obseruationem, & inquisitionem impostorum, seductorum, deceptorum, & pseudodoctorum, 2. Timoth: 3. v. 13. & luporum, Matth: 7. v. 15. Act: 20. v. 29. Tit: 1. v. 13. 2. Cor: 13. v. 13. Philip: 3. v. 2. quos omnes & singulos in lucem protractos, manifestos reddi curabit, & pro merito puniet, 2. Reg: 2. Collapsum vel deprauatum Dei cultum, restituet; atq; reformationem Ecclesiarum ex verbo Dei ad illius normam suscipiet; omnia ad perfectiorem statum reducendo, exemplo piorum Regum, 2. Reg: 18. v. 4. c. 25. v. 15. 2. Paralip: 24. v. 6. & c. 34. v. 6. Deut: 12. v. 7. Iosue 23. v. 6. &c. in qua reformatione etiam exiguæ reliquiæ & radices idololatriæ relictæ extirpãdæ omnino sunt. 1. Reg: 22. v. 44. & c. 23. v. 8. & 9. 2. Reg: 3. v. 2. & c. 14. v. 4. c. 15. v. 4. 2. Paralip: 30. v. 13. c. 31. v. 1. c. 34. v. 3. & 4. & earum initia tollenda, Iudic: c. 2. v. 10. Nehem: 13. v. 10. Ideoq; vnam religionem eamq; veram in suo regno stabilire & permittere administrator illius debet.* Quod multis scripturæ locis, & aliorum scriptorum authoritate confirmat.

Ioannes Althusius Euãgelicus scriptor; docet nõ esse permittendas doctrinas verbo Dei contrarias.

Inquisitionẽ in pseudodoctores institui iubet, & eos puniri.

Vnã eamq; veram Religionẽ vult in Repub: stabiliri & permitti.

firmat. Pergit: *Atheos omnes, impios, & profanos homines, insanabiles & refractarios eijciet. Psal: 101. per totum. Exod: 22. v. 20. Papistis in territorio natis, vel domicilium habentibus, magistratus bona conscientia permittere potest, vt habitent inter regni fines, modò pij cum superstitionibus illorum non communicent, aut cum alijs familiariter illi conuersentur, aut matrimonia contrahant. 2. Cor: 6. v. 14. Templa verò ad suos cultus idololatricos exercendos, magistratus ipsis permittere nequaquam debet. Deut: 13.* Idem c. 9. sic scribit. *Non est permittendum, vt omnes fruantur liberè sua religione in totum Christianæ contraria. Vt enim Deus vnus est, sic vna est formula rectè colendi Deum; quam Deus nobis proposuit, & extra quam impossibile est placere Deo. Nulla enim est communio luci cum tenebris, Christo cum Belial. Et si Iehoua Deus vester est, quare non sequimini eum? Violatores Orthodoxæ religionis Deus atrociter puniri voluit, Deut: 13. eiusq; rei causa vindicem magistratum constituit, cui protectionem & defensionem piorum commendauit, Rom: 13. Ob religionis improbatæ exercitium concessum reges puniti leguntur; vti Ioas, 2. Reg: 12. v. 3. Azarias, 2. Reg: 15. v. 4. 1. Reg: 18. v. 21. & pœnam comminantur Iudæi Rubenitis, Ios: 22. Pugnat etiam hæc libertas cum fide, quam incertam reddit, & plures fides, atq; plures Ecclesias, easq; diuersas, idololatriam & impietatem introducit. Præterea diuersitas tollit vnitatem, Luc: 12. Qui non est mecum, contra me est.* Hæc iste Caluinista scripturarum testimonijs, & aliorum Doctorum authoritate subnixus docet.

Cum Papistis communionem & matrimonia prohibet.

Templa permitti illis vetat.

Locum Apostoli vrget quem Pacatus ca. 1. conatus est eludere.

Libertatem religionis cum fide pugnare docet.

Audiatur etiam Gregorius Richterus Lutheranus in suis axiomatis Ecclesiasticis. Axioma eius 70. tale est: *Res religionis cùm violatur impunè, & cùm in ea cuilibet audendi ex arbitrio conceditur facultas, minatur principatibus & imperijs vnà cum religionis mutatione subuersionem. Proinde Liuius ait: M. Æmilio Prætori vrbis negotium à Senatu datum, vt à religionibus externis populum liberaret, quibus publicè & priuatim tenebatur, ritu Romano contempto; quodq; is in concione Senatuscons. recitauit, & edixit, vt quicunq; libros vaticinos precationesq;, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros literasq;, ante Calendas Aprilis deferret, ne quis in publico sacroué loco, nouo, aut externo ritu sacrificaret. Admonet*

Richterus scriptor Lutheranus docet libertatem Religionis esse perniciosã Respub. Exemplo Romanorũ.

monet idem sæpe hoc Patrum maiorumq; ætate negotium magistratibus datum, vt sacra externa fieri vetarent. quæ verba desumpsit hic author ex Oratione Posthumij Consulis habita ad Quirites, quam describit Liuius. Aiebat ille: *Nihil in speciem fallacius est, quàm praua religio, vbi Deorum numen prætenditur sceleribus; subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis, diuini numinis aliquid immistum violemus. Hac vos religione innumerabilia decreta Pontificum, Senatuscons. aruspicum deniq; responsa liberant. Quoties hoc patrum, auorumq; ætate negotium est magistratibus datum, vt sacra externa fieri vetarent? sacrificulos vatesq; foro, circo, vrbe prohiberent, vaticinos libros conquirerent comburerentq;, omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano abolerent? Iudicabant enim prudentissimi Viri, omnis diuini humaniq; iuris, nihil æquè dissoluendæ religionis esse, quàm vbi non patrio sed externo ritu sacrificaretur.* Affert idem Richterus aliud exemplũ Lutatij eius, qui primum Punicum bellum confecit, cui à Senatu prohibitum fuit, sortes fortunæ Prænestinæ adire. Auspicijs enim patrijs, non alienigenis Rempubl. administrari oportere iudicabant. Profert & verba legis duodecim tabularum: *Separatim nemo habento Deos, neuè nouos siue aduenas, nisi publicè adscitos, priuatim colunto.* Eiusdem axioma 71. est huiusmodi: *Omni tempore mutationes receptarum & vsitatarum religionum, commouerunt Imperia & Respub. & causas præbuerunt mutationibus.* Quod ipse multis exemplis confirmat, præsertim Germaniæ, & Galliæ. Nam inquit: *Mutatio religionis in Germania, peperit bellum ciuile inter Carolum Imp. & confœderatos Principes Augustanæ Confessionis, magnisq; mutationibus in toto imperio occasionem præbuit. Ex mutatione quoq; religionis in Gallia, perpetua bella ciuilia, magnæq; mutationes ortæ sunt.*

lib: 39. ab vrbe.

Oratio Posthumij Consulis contra immutationem Religionis & nouitatem.

Ioannes quoq; Idenius Brandeburg. in libello de Virtutibus, cap: 1. de religione, cùm proposuisset hanc quæstionem; An plures discrepantes religiones in regno tolerandæ sint, respondet, extra controuersiam esse *veram & unicã tantùm religionem à Principe Christiano esse ferendam. Fieri enim non potest, vt is Deum ex toto corde diligat, qui diuersas religiones simul pati*

Ioãnes Idenius Lutheranus docet vnicam tantùm Religionẽ à Principe Christiano esse ferendam.

mul pati ac fouere desiderat. Vbi religionum diuersitas, ibi perpetuæ rixæ, contentiones assiduæ seditiones creberrimæ. Nunquam, nunquã est fidus eorum affectus, quorum est diuersa fides. Nouæ religionis prætextu, alios res nouas moliri regulariter præsumitur: adeoq; prudenter Leges & Reges, de religione in vtramq; partem disserere sanctissimè prohibuerunt, &c. Bodinus etiã in libris de Repub. vehementer improbat disputationes de Religione, quas necesse est maximas, creberrimas, & grauissimas vigere, vbi diuersitas religionum viget. *Cùm*, inquit, *semel constituta, & omnium consensu probata religio fuerit, ne posthac in disputationem deducatur, cauendum est; vt omnes seditionum viæ, omnes aditus intercludantur, & præsidia pacis muniantur. Nihil est enim tam firmũ ac stabile, (nisi demonstratione clarissima nitatur) quod argumentorum vi subuerti non possit: at rerum diuinarum disciplina non in demonstrationibus, aut perspicuis rationibus, sed in assensione sola versatur. Extat Lycurgi lex antiquissima, ne scilicet de rebus semel receptis & probatis, disputare liceret. Intellexit vir sapientissimus, leges disputatas in dubium reuocari, dubitationem verò iniustitiæ opinionẽ afferre; ex quo legum ac magistratuum contemptum, & Reipub. interitum sequi necesse est. Quod si Mathematici & Philosophi suarũ disciplinarum principia in disputationem reuocari non patiuntur, quæ dementia est, de religionibus non modò priuatim, sed etiam publicè disputare velle? &c.*

Bodin. lib: 4. ca 7.

Bodini sententia de disputationibus de Religione.

Sed multorum instar nobis esse debent Protestantes Angli, qui vt superiori capite ostendi, contra diuersitatem Catholicæ & reformatæ religionum in Anglia permittendam, apud Regem summa vi & argumentorum contentione pugnârunt. Videant ergo Catholici, quid Euangelicorum scriptores de religionis libertate sentiant, & vel ab illis præmoneantur, ne se in errorem Ecclesiæ & Reipub. perniciosissimum abduci sinant; vt existiment præter vnam Catholicam Romanam fidem, alias cum ea pugnantes hæreses in eodem Regno & Repub. posse impunè permitti. Habeant præ oculis hæc Axiomata ab ipsis Euangelicis probata, & literis consignata.

1. Magi-

1. Magistratus proponat edicta publica de exterminanda omni doctrina, verbo Dei non consentanea, eiusque exercitio sub pœna grauissima, omnibus & singulis Regni membris interdicat. *Althusius polit: c. 28.*

2. Inuestiget & inquirat diligenter impostores, pseudodoctores, seductores, & singulos in lucem protractos, manifestos reddi curet, & pro merito puniat. *Idem ibi.*

3. Reformationem Ecclesiæ exemplo piorum Regum suscipiat. *Idem ibi.*

4. Vnam religionem eamque veram in Regno suo stabilire & permittere administrator illius debet. *Idem ibi.*

5. Non est permittendum, vt omnes liberè fruantur sua religione, Christianæ contraria. *Idem polit: ca. 9.*

6. Violatores Orthodoxæ religionis Deus atrociter puniri voluit. *Idem ibi.*

7. Ob religionis improbatæ exercitium concessum, Reges puniti leguntur. *Idem ibi.*

8. Libertas religionis pugnat cum fide, quam incertam reddit. *Idem ibi.*

9. Diuersitas religionis tollit vnitatem. *Idem ibi.*

10. Cùm in religione cuilibet quidlibet audendi conceditur facultas, timenda est vnà cum religionis mutatione Reipub. subuersio. *Richter: axiom: 70. Ecclesiast.*

11. Patrijs & receptis religionibus, non alienis & aliunde adscitis, Rempub. administrari oportet. *Idem ibi.*

12. Mutationes receptarum & vsitatarum religionum, causas præbent mutationibus Regnorum. *Idem axiom: 70.*

13. Fieri non potest, vt is Deum ex toto corde diligat, qui diuersas religiones simul pati ac fouere desiderat. *Idenius de virtutibus cap. 1.*

14. Vbi religionum diuersitas, ibi perpetuæ rixæ, contentiones assiduæ, seditiones creberrimæ. *Idem ibi.*

15. Nunquam est fidus eorum affectus, quorum est diuersa fides. *Idem ibi.*

16. Veritas cum mendacio, Christus cum Belial, nihil habet commune. *Protestantes Angli.*

Iidem. 17. Duas diuersas in Regno admittere religiones, nihil aliud est, quàm inter duas opiniones incertum pendere.

Iidem. 18. Dissensio in religione, consensionem animorum

Iidem. non admittit.

19. Maledicta est omnis concordia, quæ synceritate ve-

Iidem. ritatis est destituta.

20. Impossibile est, vt Rex aliquis inter contrariæ religionis subditos tutus viuat.

Catholici instruuntur, quo pacto reiicere debent Euangelicos Cõfœderationem postulantes.

Hæc, inquam, Axiomata præ oculis sunt Catholicis habenda, quando ab hæreticis ad Confœderationem approbandam, & communi consensu sanciendam sollicitantur: hæc illis sunt regerenda, vt suorum doctorum effata agnoscant: inculcanda, vt vel suorum authoritate permoti desistant petere id à Catholicis, quod eis petentibus ipsi denegarent: Interrogandi sunt; num Protestantium Anglorum & aliorum suæ religionis hominum sententiæ subscribant, vel non? Si negent; rogandi, cur Axiomatis certa scripturarum authoritate firmatis assensum præbere nolint, qui se verbo Dei in omnibus cedere iactant? Si affirment; monendi, ne contra propriam conscientiam agãt, vtq; libertatem religionis, quam esse Reipublicæ perniciosissimam non dubitant, à Catholicis efflagitare desinant: patiantur Catholicos ita cum ipsis agere, prout ab illorum similibus in Regnis & dominijs Euangelicis tractantur.

Notandum dilemma contra Euangelicos.

Vrgendi hoc dilemmate: Si bona est religionum diuersarum admissio; cur ab ea Angli, Hollandi, Zelandi, Saxones, Sueci, Dani, Protestantes, tanquam à certissima animorũ & Reipub. peste abhorrent? Si mala, cur eam in Polonia à Catholicis importunè extorquent, & iniquissimæ rei assidua postulatione, publica consilia perturbant? Quod si dicant Pauli præceptum esse, vt Christiani homines cum omnibus pacem seruent: quærant, cur Protestantes Angli in hanc sententiam Paulum non exponant? Num alius est fortè spiritus, qui Anglos, & qui Polonos Protestantes de sensu verborum Pauli instituit? Si instent, nihil se aliud quàm pacem cupere, pacem sectari velle; re-

ſpondeant Catholici, diſſenſionem in religione, conſenſionem animorum (Proteſtantium opinione) non admittere, quòd nullus ſit fidus eorum affectus, quorum diuerſa fides exiſtit.

Si iterum repetant, ex confœderatione & libertate religionis, certò ſecuturam inter diſſidentes pacem: reſpondeant cum Anglis Proteſtantibus, ſecuturam potiùs contentionem, & odium, & inuidiam: non eſſe pacem peccatis in Deum conciliandam, aut promouendam: maledictam eſſe omnem concordiam, quæ ſynceritate veritatis ſit deſtituta. Si necdum conquieſcant, & inculcent ex hac confœderatione multa bona conſecutura; reſpondeant Catholici, non eſſe facienda mala, vt eueniant bona timẽdam potiùs ex mutatione religionis grauem Reipub. mutationem & perturbationem; ob religionis improbatæ exercitium conceſſum, Reges diuinitùs eſſe punitos: iram proinde diuinam non eſſe in perniciem Reipub. prouocãdam. Si dicant mirari ſe, cur tantopere reformatam ipſorum religionem Catholici deteſtentur, vt eam procul finibus Poloniæ expellere diſcupiant: reſpondeant mirari ſe potiùs, cur Proteſtantes Angli, & alij Reformati, tantopere Catholicam Apoſtolicam Romanam fidem execrentur, vt eam impietatem & idololatriam non vereantur appellare, & hoc nomine procul ditionibus ſuis expellere: cùm tamen Catholici iuſtiores longè cauſas habeant, cur reformatam Euangelicam doctrinam idololatriam, & Reformatos Euangelicos idololatras appellare poſſint, & debeant, cùm certiùs longè ſit Reformatorum Euangelicorum dogmata eſſe idola, quàm ſtatuas & imagines Sanctorum, quas Catholici venerantur: veterum ſiquidem patrum ſententia nunquam imagines ſacras, idolorum loco habitas; dogmata verò hæretica non ſine grauiſſimis rationibus idolis accẽſita. *Sculptile atq; conflatile*, ait Hieron. *reor dogmata eſſe peruerſa, quæ ab ijs, à quibus ficta ſunt, adorantur. Vide Arium ſculpſiſſe ſibi idolum creaturæ, & adoraſſe quod ſculpſit.* *Hier: in 2. Abac. Hæretici ſunt idololatræ.*

Cerne Eu-

Cerne Eunomium conflâsse imaginem falsam, & conflationi suæ curuare ceruicem. Et paulò pòst: *Si quandò videris aliquem credere nolle veritati, & ostensa dogmatum suorum falsitate in cœpto studio perseuerare, congruè poteris dicere; Sperat in figmento suo, & facit simulachra muta, vel surda.* Similiter vetustus author Tertul: *Neq; à diabolo, ait, immissa esse spiritalia nequitiæ (ex quibus etiam hæreses veniunt) dubitare quis debet: neq; ab idololatria distare hæreses, cùm & authoris & operis sint, cuius & idololatria. Deum fingunt alium, & aliter eum disserunt, quàm in vero est. Itaq; omne mendacium, quod de Deo dicunt, quodammodo genus est idololatriæ.* Et alio loco: *Sicut nationes manibus, ita & ipsi hæretici verbis idola fabricantur, id est alium Deum & alium Christum.*

Tertul: de præscript: ca. 40.

Adu: Praxeam c. 18.

Cùm ergo Catholicis certissimum sit Euangelicos esse hæreticos; mirandum non esse, si eorum errores tanquam verissima capitis ipsorum idola magnopere detestentur, & exterminari ex animis hominum optent. Si præterea exemplis Euangelici velint agere, & Confœderationē Gallicam in medium adducere, paratam habeant Catholici ab Anglis protestantibus responsionem, non exemplis sed regulis iudicandū esse: admissionem Reformatæ religionis in Gallia, ex necessitate factam: reponendū potiùs esse par Anglis, Hollandis, & similibus, qui Catholicos ritus in suis ditionibus non patiuntur: & dicendum; Qua mensura &c.

Denique si dicant Euangelici Catholicos in hoc negotio Confœderationis à Iesuitis dementari: hos vtpote iuratos & capitales Reformatæ religionis hostes, nihil non moliri, non voci, non chartæ, & calamis parcere, vt ostendant diuersitatem religionum nullatenus esse tolerandam. Imò verò dicant Catholici, se in religionum libertate detestanda ipsos Protestantes authores habere: proinde cùm istam offam Euangelici intriuerint, ipsis exedendā esse: neq; grauatè ferre eos debere, si cogantur eam legem pati quā ipsimet tulerint, siq; consilia eorum contra Catholicos data in ipsorum caput recidant, & sic sorex suo indicio pereat. Sanè si hoc modo Catholici cum Euangelicis egerint, nullo negotio iniquitas os suū oppilabit, secundùm Psalmistam.

CAPVT

CAPVT IX.

Quid sentiendum de alijs fœderibus fidelium cum infidelibus.

SAtis opinor multa de fœdere fidelium cum infidelibus, in negotio religionis dicta sunt; de alijs fœderibus pauca supersunt dicenda. Atq; illud inprimis tenendum est, non esse facilè & temere societates, amicitias, & fœdera fidelibus iniungẽda cum infidelibus, etiamsi non de religione, sed de alijs ciuilibus negotijs intercedant. Cui rei fidem facit Deus ipse, qui lege cauit, ne Iudæi terram promissionis ingressuri, cum incolis infidelibus eius regionis, fœdera, societates, & amicitias iungerent; ne scilicet eorũ consuetudine & lenocinijs, à vera fide & religione, ad cultum idolorum transuersi raperentur. *Caue*, inquit, *ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinã. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum.* Similia repetuntur in Deuter. Et hæc fuit causa, cur Angelus in libro Iudicum accusârit grauiter Israëlitas, quòd fœdus cum Chananæis & Palæstinis percusserant. Ad idem confirmandum suppetunt nonnulla alia in Scriptura sacra prodita exẽpla.

Non temerè fidelibus cum infidelibus iungẽda amicitia & fœdera etiã extra casum Religionis.

Exod: 34.

Deut: 7.

Iudic: 2.

Iosaphat Rex Iuda, pius & religiosus, inierat societatẽ non religionis, sed belli tantùm, cum Achabo Rege Israël impio & idololatra: qua de causa sic est admonitus à Propheta: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia iungeris; & iccirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te, &c.* Idem Iosaphat inierat amicitiam cum Ochozia Rege Israël finitimo Principe, sed idolorum cultore, & communibus impensis vterq; naues, quæ irent in Tharsis, construxerat; sed iccirco iacturam nauium fecit Iosaphat, diuino dicente Propheta: *Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæq; sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.* Memorabile etiã est in hoc genere A-

Exemplis id cõfirmatur Iosaphat Regis Iuda.

2. Paral: 18. & 19.

2. Par: 20.

Et Amasiæ Regis item Iuda. maliæ Regis Iuda exemplū, qui cùm vellet Idumæis bellū inferre, centum millia militum idololatrarum, centum talentis argenti ex vicino Regno Iſraël conduxit, vt eorū auxilio ad belli ſocietatē vteretur. Sed adeò hæc ſocietas Deo diſplicuit, vt Prophetam ad Amaſiam mitteret, qui eum ad militem impium & idololatram dimittendum, & centum talentorum argenti iacturam faciendam induceret: *2. Par. 25.* *O rex* inquit, *ne ingrediatur tecum exercitus Iſraël; non eſt enim Dominus cum Iſraël.* Hinc ergo abunde probatū manet id quod principio poſui; non eſſe temere fidelibus cum infidelibus ſocietates, amicitias, & fœdera etiā extra religionis negotium ineunda. Non eſt tamen negandum, licitum eſſe fidelib⁹, ex iuſta & graui cauſa, paciſci cum infidelibus, & fœdere cū illis iungi, atq; ad amicitiam eorum & ſocietatem ſe adiungere; modò id fiat ſine damno & detrimento religionis, & ſcandalum omne abſit.

Iuſta ex cauſa neceſſitatis vel vtilitatis poſſunt à fidelibus iniri fœdera cū infidelibus, modò detrimentū religiōis & ſcādalū abſit.

Iuſtæ porrò & graues cauſæ id faciendi, vel ad neceſſitatem, vel ad vtilitatem reuocantur. Atq; hoc probant non pauca Sacræ ſcripturæ exempla; quorum nōnulla, Pacatus quoq; noſter, tanquam non omninò Sacrarū literarum rudis commemorat. Fœdera ſanè ſocietatemq; inijt olim Abraham cum Eſchol & Aner: cum Abimelech & Phicol: Iſaac ſimiliter cum Abimelech, Ochozath, & Phicol: Iacob cum Laban: Dauid cū Rege filiorum Ammon: & cū Benadado Damaſci Rege Aſa Rex Iuda. Præterea Iudas Machabæus ſociale cum Romanis fœdus percuſſit. Et Ionathas cum Demetrio pepigit fœdus, militeſq; electos auxiliarios ei miſit, & cum Spartiatis legatione ad eos miſſa amicitiam renouauit. Si tamen fœdus eiuſmodi in damnum & detrimentum religionis vergeret, & ſcandalū graue ſecum afferret, omninò illicitum redderetur. Quod accideret, ſi principi infideli fœderato, præberentur à fidelibus auxilia, ad fidelem alium principem armis opprimendum; quo oppreſſo, religio & fides Chriſtiana in eius ditione periclitaretur; vel princeps fidelis contra alium ſimiliter fidelem, ſoci-

Exemplis id probatur.

alibus,

alibus infidelium armis vteretur; Vtroq; enim casu fœdus illud graue religioni nocumentum & scandalū afferret. Sanè illud obseruatū est, rarò fidei & religionis atq; adeò scādali periculum abesse solere, cùm Principes fideles infidelium quorumuis armis fulti, cum alijs principibus fidelibus bella gerunt. Qua ratione olim maximam cladem Catholicæ religioni attulit ambitiosissimus ille Ruffinus, qui tempore Arcadij Imperatoris, vt Stiliconi copiarum duci esset formidabilis, seq; contra æmulam eius potentiam communiret; barbaros Gothos cum Alarico ipsorum Rege, Ariana hæresi infectos, & Hunnos præterea, ad inuadendum Orientale imperium conspiratione facta concitauit; quorum furor eo vsq; progressus est, vt ipsum imperij domicilium Constantinopolim obsiderent, & Syriam peruagati, obsessaq; Antiochia, Hierosolymæ quoq; imminerent, plurimo vbiq; & maximo Christiano sanguine profuso. Qui etiam regiones Romanas, quas semel occupârunt, cœperunt vt proprias incolere & possidere, Romanosq; milites ridere, & despicatui ducere, quasi, inquit Chrysostom: *non bellum gererent, sed choreas ducerent.* Bonifacius etiam Comes Africę religione, & rebus fortiter pace belloq; gestis, clarus, misso contra se à Theodosio iuniore exercitu, (cui nescio quibus ex causis suspectus esse cœperat) rebus suis cōsulere, seq; contra vim tueri volens, ad opem Vandalorum in Hispania degentium confugit: qui eius hortatu Africam ingressi, & omnia crudelissimè vastârunt, & Catholicam fidem Ariana impietate subuerterunt, & ab Orientis imperio Africam auulserunt, armisq; & præsidijs eam diutissimè tenuerunt. Non dissimili ratione Romani, qui Nepotis Imperatoris partibus adhærebant, vt se de Oreste Imperij inuasore vindicarent, barbaros Erulos Arianos cùm Odoacre eorum duce in Italiam euocârūt, qui potiti Italia, Occidentale Imperium Romanis è manibus extorserunt. Et ne plura exempla vetera commemorem; Ioannes Palæologus Orientis Imp: multis Principum Græciæ bellis afflictus, cum

Auxiliares copiæ infidelium plerumq; Christianæ Religioni sunt damno.

Probatur id exemplo Gothorum in Oriente.

In epist: ad viduam iuniorem.

Vandalorū in Africa.

Erulorum in Italia.

Turcarum in Thracia.

ctus, cum Amurate Turcico fœdere inito, aditum ei ad Europam, simulq; ad Christianam religionem in Græcia opprimendam aperuit. Vnde facilè intelligere quiuis potest, quàm sit periculosum Christianis principibus cum Ethnicis vel hæreticis socialia arma coniungere. Nam præterquam quòd religionē in perspicuum discrimen adducunt, regnis quoq; sæpe suis (Deo temeritatis ipsorum pœnas exigente) per eosdē quos præsidio sibi fore putabant, exuuntur. Atq; hæc dicta sint de responsione Pacati nostri, ad primam Authoris rationem; quam ille personatum Achillem gloriosus, & infracti animi miles vocat, laruamq; se ei detraxisse iactat. Sed prudens lector iudicet, an illa ratio personatus Achilles dici debeat, qua ipsimet Euangelici contra libertatem religionis vt primaria vtuntur. Simul & illud æstimet, an non Euangelicis potiùs larua sit hactenus detracta, qui, cùm ad nos in Poloniam veniunt, laruam libertatis religionis speciosā, vt apparet, induunt; quam in Anglia, Hollandia, & alibi deponunt, & truces suos hæreticos, sanguinariosq; vultus Catholicis ostendunt; vt meritò cùm Confœderationem ingeminant, hanc eis Catholici laruam detrahere, & quid sub hoc præclaro Confœderationis nomine occulant, inspicere; atq; in eorum quæ supra dicta sunt speculo, vultus eorum fucatos considerare, & laruatorum istorū amicorum, & sociorum preces reijcere debeant.

CAPVT X.

Responsio Pacati ad secundam rationem Authoris expenditur.

ALteram rationē authoris proponit Pacatus, quæ erat huiusmodi: *Pax, quæ est mater & nutrix dissensionum, non est Pax: Sed Pax Confœderationis est huiusmodi, mater nempe & nutrix dissensionum: Ergo non est Pax.* Maiorem argumenti propositionem distinguit Logici periti more. Verum enim esse cen-

se censet; *si paci per se hoc insit, vt dissensiones pariat & nutriat: secus enim, ait, erit, si paci id aliunde accedat, & per accidens insit. Nam tunc non ipsa pax culpanda est, sed peruersus pace abutentium animus.* Ad minorem verò ait, paci Confœderationis non per se sed per accidens competere, vt sit mater & nutrix dissensionum. Sed hallucinatur grauiter, existimans Confœderationis pacem aliunde & ex accidenti, non autẽ per se, & natura sua matrem esse & nutricem dissensionum. Cõtrarium ego breuiter euincam, sumpto ex Scriptura initio, ex qua hoc vnicum enthymema conficio: Pax luporum, & ouium, siue mutua luporum & ouium in eadem caula consociatio, est natura sua mater cædis, & lanienæ: quia lupi à natura sibi ingenitas, non aliunde ascitas, cum ouibus gerunt inimicitias, quæ necesse est, vt in cædem & lanienam erumpant: Ergo similiter pax seu consociatio hæreticorũ in vna Repub. cum Catholicis, est natura sua mater odiorum, & dissensionum, quas necesse est aliquando in tumultus & seditiones, nisi quid impedimento sit, erumpere. Antecedens non negabit puto Pacatus, nisi luporum naturæ sit nescius. Consequentiam verò Scriptura ipsa confirmat, quæ hæreticos nomine luporum significat, eò quòd insitæ sint hæresi cum recta fide inimicitiæ; & homines hæresi occupati luporum instar, Catholicos veluti oues, dum possunt, persequentur; & suam in eos feritatem expromant. *Intrinsecus*, ait Christus, loquens de falsis prophetis, seu hæreticis, *sunt lupi rapaces.* Et S. Paulus. *Ego scio quoniam post discessionem meam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Hãc lupinam hæreticorum & insitã ipsis, quâ hæretici sunt, feritatem, ostendunt tot sanguinaria in ditionibus hæreticis, in Catholicos promulgata & executioni mandata edicta, quæ hoc loco nõ est necesse commemorare; infra se offeret cõmodior occasio, nunc sufficiat lectorem remittere ad articulos Hollandhispanicos supra recensitos. Quando itaq; efficiet Pacatus, vt lupi deposita sua ferina rabie, quietè & placidè ouibus consocientur; tunc speranda quoq; erit eiusmodi Ca-

1. Ex scriptura probatur pacem Religionis inter Catholicos & hæreticos esse natura sua matrẽ dissensionum.

Matth: 7.

Act: 20.

cap: 7.

modi Catholicos inter & hæreticos pax & confœderatio, quæ non sit mater & nutrix dissensionum. Sed ait; *Euangelicos dissensionum fomitem & causam submotam velle, quod possibile esse dicit à se superiùs demonstratum.* Non demonstrauit, quod se iactat demonstrasse. Quamdiu enim Euangelici hæresim ex animis nō eijciunt, frustra dissensionum fomitem & causam submotam volunt; cùm intus hæresim dissensionū fomitem & causam retineant. Et sanè miror quî fieri possit, vt se id demonstrasse Pacatus putet, cuius contrarium etiā ab ipsis Euangelicis, vt verissimum, est demonstratum; nimirum ex libertate religionis (quam Euangelici volunt, dum confœderationem volunt) existere mutua odia & dissensiones.

2. *Idem probatur ex ipsis Euangelicis.*

Repeto breuiter illa Reformatorum effata: *Vbi religionum diuersitas, ibi perpetuæ rixæ, contentiones assiduæ, seditiones creberrimæ. Et: Dissensio in religione consensionem animorum non admittit, eò quòd nunquam sit fidus eorum affectus, quorum est diuersa fides.*

Richter: axiom: Eccles. 70. Idem in de virtut: c. 1.

Atq; vt meliùs intelligatur Cōfœderationis seu diuersarum religionum pacem, natura sua, non ex accidenti, esse matrem & nutricem dissensionum; refero id, quod scribit ex quodā alio suo gregali is, quem antè nominaui, Richterus Gorliciensis Pastor: *Præcipuum*, inquit, *concordiæ vinculum est religionis similitudo, & de cultibus diuinis consensio. Vix quicquam arctiùs deuincit & complicatos tenet animos, quàm eadem de Deo sententia, aut opiniones, & sacrorum communio. E contrario si quid aliud, certè religionis diuersitas, animos hominum disiungit & distrahit: ac perpetuorum odiorum, dissidiorum, seditionum, & bellorum est seminarium: atq; leui momento fit, vt aut politicum schisma gignat Ecclesiasticum; aut Ecclesiasticum inuehat politicum: id est, vt vel ob contentiones politicas doctrina religionis aliquid detrimenti capiat, & Ecclesia multum mali patiatur; vel disputationes Ecclesiasticæ de dogmatibus, in atrocissima bella exeant: in quibus homines pro calamis scriptorijs, gladios, & hastas arripiant, armisq; sententias dicant. Neq; desunt exempla, quibus doceatur, infensioribus ferè animis gesta esse bella sacra, & religionis ergò suscepta, quàm quædam bella*

Axiom: Eccles: 71.

commu-

communia. Percepistiné, Pacate, quid iste Euãgelio tuo vnà tecum imbutus, Euangelicus vt tu, hæreticus vt tu, de dissidio religionis sentiat? Cuius doctrinæ frustra tuam illam distinctionem, *per se, & ex accidenti*, adhibeas. Nam sicut religionis similitudo sua natura est concordiæ vinculum; ita diuersitas religionis natura sua, hominum animos distrahat & disiungat necesse est. Idem Richterus alibi ait: *Doctrinæ consensu turbato existere in populo factiones, distractiones Principum, ciuium cædem, & infinitam vastitatem.* Et iterum: *Acerbissima*, inquit, *sunt odia Theologica, atrocissima sunt bella sacra, & religionis nomine suscepta; quia plerumq; & rabie Cainica geruntur, & parricidijs finiuntur. Odium religionis est summum odium: cuius rei, si quis exempla cupit, similis mihi videtur illi, qui ligna in syluis desiderat.* Et alio loco: *Hæretici in Ecclesia omni tempore fuerunt crudeles: id testatur tota historia Arianorum, quorum sæuitia fuit longè maior, quàm ipsorum Ethnicorum.* Perdis ergo oleum & operam, Pacate, qui religionum diuersitatem ab insitis odijs, & dissensionibus excusare contendis. Qua in re, non solùm scripturæ & Symmystis tuis, verùm etiam apertissimæ rationi contradicis. Si enim vel sola dissimilitudo linguarum vehementer animos suapte natura dissociat: quis dubitet magis alios ab alijs, diuersitate atq; aduersitate religionum abalienari? De finibus agrorum, de iure possidendi, si non sit vna plurium sententia, quantas ea res turbas, & dissensiones solet concitare: quid dicendum erit, si sint diuersæ, vel potiùs aduersæ de rebus Diuinis inter plures opiniones, quantas illæ turbas dabunt? maximè quòd in religione diuersitas maximi momenti ab omnibus habeatur, propter eã quæ insidet omnibus de præstantia & necessitate veræ religionis opinionem. Verissimè illud à Cicerone dictum est, *nullas esse maiores inimicitias, quàm contrarias hominum sententias, ac dissimilitudinem studiorum & voluntatum.* Non potest autem esse contrarietas sententiarum maior, quàm in re omnium grauissima, hoc est in religione; nec studiorum dissimilitudo magis dispar, quàm

Axiom: 132. Ecclesiast.

Axiom: 134. Eccles.

Axiom: 206. Eccle.

Rationibus probatur, dissimilitudinem Religionis natura sua matrem esse dissidiorũ.

Prima.

Secunda.

Act: 4: in Verrem.

Tertia.

par, quàm ea, quæ sita est in ipso studiorum ac bonorum morum fundamento. *Omnis caro*, inquit Sapiens, *ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sui sociabitur. Si communicabit lupus aliquando agno, sic peccator iusto. Quæ communicatio Sancto homini cum cane?* Cuius rei causa est, quia aduersi qui eos possident, ac veluti animant spiritus, vnà eos viuere non sinunt. Sic ergo, quoniam qui diuersæ & disparis sunt religionis, diuersis & contrarijs spiritibus agitantur, fit, vt concorditer inter se submotis omnibus dissensionibus viuere non possint. Exéplo sint Lutherani, & Caluinistæ, qui, licèt ex eodẽ sint ouo à Luthero exclusi; quia tamẽ de præcipuis fidei articulis ab inuicẽ dissident, implacabiles inter se iras gerunt, scriptis sese inuicem lacerant, & in vna ciuitate, si eos degere contingat, non procul sæpe à tumultibus & seditionibus absunt; quod quàm verum sit, qui cupit intelligere, Prussiæ vtriusq; ciuitates adeat, & quid ibi agatur, quamq; intestinis dissidijs religionis ibi ardeant omnia, quàm populus infesto sit in magistratum animo, nullo negotio intelliget. Queritur de huiusmodi dissidijs Euangelicorum inter se, Sabinus quidam Euangelicus, apud Rycht: qui pro suo Germanico cãdore sic ait: *Post peruulgatum Interim, exortis intempestiuis certaminibus, quæ vrbs, qui pagus Papisticus se nobis adiunxit? Imò aliqui defecerunt rursus, offensi his ociosis & non necessarijs certaminibus. Ego possem sermonẽ cuiusdã magni Principis de nostris dissidijs recitare, qui dixit se nulla re impediri, quominùs se nobis adiungat, quàm his spectaculis dissidiorum. Si me* inquit, *adiungo vobis, tunc condemnor ab illis; si me alijs adiũgo, à vobis condemnor. Quid fugiam,* inquit ille Princeps *video; sed quid sequar non habeo.* Tantas inter ipsos Euangelicos peperit dissensiones diuersitas doctrinæ; quæ non solùm est diuersitas opinionum, sed etiam animorum & voluntatum, ita, vt hoc obseruatum sit, Lutheranos infestioribus animis Caluinistas, quàm ipsos Catholicos prosequi; & malle, si optio detur, ad Catholicorum partes, quàm ad Caluinistarum transire.

Eccl: 13.

Idem probatur exẽplo Euangelicorum.

Richter: 132. Axiom: Ecclesiast.

Neque

Neque verò mirandum est in diuersitate, & contrarietate religionum huiusmodi dissidia, & dissensiones intestinas reperiri. Quisque enim quam sequitur religionem, verissimam putat, & contrariam, vt errorem manifestum odit, ac detestatur. Ex odio verò, cùm nihil obstiterit, nascitur eius, quod vt errorem damnes, extinguendi cupiditas. Quod quia fieri nequit, nisi ijs oppressis, vel fugatis, à quibus error contrarius defenditur, ad hos protinus, si modò liceat, è medio tollendos, voluntas omnis & conatus hominum conuerti solet. Ex hoc principio ortæ sunt omnes, quæ omni memoria extiterunt Catholicorum ab hæreticis persecutiones, & iusta Catholicorum in hæreticos odia. *Abominantur enim iusti virum impium, & abominantur impij eos qui in recta sunt via:* atq; vti alteros vtriq; abominantur, ita & cùm facultas adest persequũtur. Sed hoc plurimùm interest inter Catholicos & hæreticos, quòd illi persequũtur diligendo; isti sæuiendo: illi vt corrigant, isti vt euertant: illi vt reuocent ab errore, isti vt præcipitent in errorem. Deniq; non aliter homines aduersarum religionũ vacare omnibus discordijs & dissensionibus possent, quàm si vera inter eos amicitia existeret, quam tamen impossibile est in cõtrarietate religionum inueniri. *Est enim amicitia nihil aliud* (inquit Lælius apud Cicer:) *nisi omnium diuinarum, humanarumq; rerum cum beneuolentia & caritate summa consensio.* Quocirca qui diuersas sequi se religiones profitentur, amici esse non possunt; quia in rebus Diuinis non habent summam cum beneuolentia & caritate consensionem. Quod si inter eiusmodi homines amicitia constare non potest; fieri non posse videtur, vt inter eos vna consistere Resp. possit, quæ vera partium inter se vnione & cõcordia coalescat. Idcirco si memoria vestigemus veteres nouasq; Respub. reperiemus quidẽ aliquas Regibus, aliquas legibus, alias mœnibus, aut etiam domibus carere potuisse: at quæ non certam principio religionem, & Dei vel Deorum communem aliquem cultum, & sacra publica

Cur ex contrarietate religionum oriatur dissensiones.

Prou: 29.

Homines diuersæ religionũ nõ possunt esse inter se verè amici.

susceperit, reperiemus nullam. Satis vt appareat primarium hoc esse vinculum amicitiæ, præcipuumq; ac primũ ciuilis inter homines societatis fundamentum; si vna inter se religione sacrorumq; similitudine colligentur. vnde etiam religionis à religando nomen est tractum & deductum. Vbi autem de religione interuenêre dissidia, grauissima quandoq; inter ciuitates bella consequuta memorantur.

Notandum exemplum Ieroboami. Vidit profectò Ieroboam Rex Israël, quantum esset in vna religione momenti, ad animos hominum in idem Regnum conglutinandos, & quantum è diuerso valeret ad disiungendos religionum diuersitas. Veritus enim ille in ipsis Regni sui primordijs, ne qua fieret aliquando propter religionis vnius vinculum conciliatio tribuum diuisarum, eiusmodi legitur consilium cepisse: *3. Reg. 12.* *Dixit*, ait Scriptura, *Ieroboam in corde suo. Nunc reuertetur Regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini in Ierusalem, & conuertetur cor populi huius ad Dominum suum Roboam Regem Iuda, interficientq; me, & reuertentur ad eum. Et excogitato consilio; fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra ascendere in Ierusalem: Ecce Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. &c.* Quo exemplo manifestò comprobatur, diuersitatem religionis esse natura sua matrem & nutricem odiorum, & dissensionum, & inimicam pacis, vnionis, & concordiæ. Nam Iudaicas tribus, natura & sanguine inter se iunctas, moribus, & legibus, ac institutis similes, solum dissidium religionis perpetuò distraxit, & grauissima bella inter eas accendit. Eadem est causa eius, quod inter Turcas & Persas cernitur odij planè implacabilis, cuius flamma nullis sanguinis imbribus potest extingui. Vtraq; gens Mahometis legibus & sacris initiata est: quia tamen de earundem legum interpretatione dissidet, nulla vnquam firma pace potest inuicem fœderari & coniungi. Satis ergo manifestò, vt opinor, ostendi diuersitatem religionis non ex accidenti, & aliunde, sed ex natura sua, & insita ac ingenita vi, matrem esse ac nutricem dissensionum.

Sed aueo

Sed aueo ſcire, quomodo probes, Pacate, accidentarium eſſe contrarijs religionibus, vt odia & diſſenſiones nutriãt. Ais; *In auguſtiſſimo Poloniæ Senatu, cùm Euangelici Senatores diuerſæ religionis, ſi non excedebant numero, attamen æquabant; quæ tum turbæ; quæ diſſenſiones, liteſué inteſtinæ tantæ fuêre, quarum prætextum vel ſpeciem aliquam reſcindendæ, aut in ſuſpicionem vocandæ huius pacis habere poſſimus?* Vis ſcire, Pacate, quid tum moliebantur Euangelici Senatores? Memini me audire ex ijs, quibus Reipub. noſtræ ſtatus per illud tempus erat perſpectus, ea conſilia fuiſſe tum agitata à Senatoribus noſtris Euangelicis; vt Epiſcopos Catholicos Senatu mouerẽt, omnemq́; eis gerendæ Reipub. curam, & ſententiæ dicendæ prærogatiuam adimerent. Quas putas iſti turbas dediſſent, ſi quod cogitabant perficere, & meditata ſua conſilia ad rem ipſam conferre potuiſſent? Quod quia non ſunt aſſecuti, non id quidem Confœderationi, aut ingenio noui Euangelij, ſed multis impedimentis, quæ ab ijs non poterãt ſuperari, adſcribendum eſt. Pergis. *Permiſſionem variarum religionum Dei beneficio, nec anteà diſſenſionum matrem in Polonia fuiſſe, nec fore, modò Icilij, Grachi, & Saturnini non audiantur, quibus ſub pietatis zelo, ima ſummis miſcere volupe eſſet.* Libens tecum agnoſco Dei beneficio ſingulari factum; vt in patria noſtrà diuerſitas religionum, non tot diſſenſiones, neq; tot cædes & bella pepererit, quot alibi peperiſſe, magno rei Chriſtianæ damno legitur. Sed quid hoc facit ad probandum, diuerſitatem religionum non eſſe natura ſua matrem & nutricem diſſenſionum? Nonné fit etiam interdum ſingulari Dei opificio, vt peſtis alicubi minùs ſæuiat, & per pauciora hominum capita graſſetur: num ideo concludi poterit; peſtem natura ſua mortem & interitum non afferre? Quod ergo ſingulari Dei beneficio euenire creditur, in malis impediendis & auertendis; præter naturam eorum malorum accidere putandum eſt. Quod verò deſideras Icilios, Grachos, & Saturninos apud nos non audiri, id nos quoq; deſideramus. Sed hoc non perinde vt deſiderari, ſic & obtineri in di-

Euangelici quid aliquãdo in Polonia moliti.

Euangelici in Repub: nõnulli Icilij, Grachi, & Saturnini.

ri in diuersitate religionum potest. Quot Icilios, quot Grachos, quot Saturninos Euãgelij vestri alumnos hactenus habuimus, quorum lingua, siue in particularibus, siue in generalibus Regni conuentibus, nihil aliud fuit, quàm flabellum seditionum, quibus sub boni communis Reipub. prætextu, Catholicæ religioni insidias struere; Ordinem Ecclesiasticũ in summam apud omnes inuidiã vocare; iura Ecclesiarum impeditiora reddere; amplissimi Senatorij ordinis authoritatem eleuare & imminuere; ima summis miscere: & sic, vt prouerbio vtar tuo, *anguillas turbato quærere stagno* volupe fuit? Neq; nunc quidem tales Icilij, Grachi, & Saturnini desunt, qui vbi, veluti venti tranquillo mari, sic illi mitioribus nobilitatis nostræ animis incubuerunt: omnia consilia publica perturbant, & tot fluctibus Rempub. tot voluntatum studiorumque pugnantibus procellis commouent, vt optata tranquillitas sperari vix possit. Quin etiam pulpita templorum vestrorum, & rostra Euangelica, talium Iciliorum, Grachorum, & Saturninorum vocibus, & orationibus perstrepunt. Quæ omnia possem notissimis exemplis illustrare; sed te authore Christiani hominis officium retineo, neq; cuiusquam nomen ad inuidiam & dedecus, chartis hisce commendare volo. Sequor te potiùs pergentem, & conantem respõdere ad ea, quæ Author PACIS NON PACIS, attulerat ad probandum, pacem Confœderationis esse matrem & nutricem dissensionum.

Similiter Ministri in templis.

Probatio authoris fuit huiusmodi: *Pax Confœderationis est permissio variarum religionum, quam esse matrem & nutricem dissensionum, semper est ab omnibus iudicatum, vt probat fusè vir eruditissimus Iustus Lipsius, l. 4. ciuilis doctrinæ, c. 2. & in libello aduersus Dialogistam.* Tu quid ad hæc? Respondes, authorem non satis Lipsium legisse, aut minùs aptè eum contra Euangelicos trahere. Appello fidem candidi lectoris, vt iudicet, an author PACIS NON PACIS minùs attentè Lipsium legerit, aut minùs aptè contra Euangelicos illum traxerit. Verba Lipsij ex l. 4. Ciuilis doctrinæ, c. 2. hic describo: *Non sunt audiendi*

Diodor: Sicul: lib: 11.

diendi Ægyptij illi Reges, qui variam & miscellam religionem induxerunt, stabiliendo vt putârunt sceptro, & ne vnquam conspirare inter se Ægyptij omnes possent. O fatui : vnionis auctor illa vna : & à confusa eä, semper turbæ. Musarum ille pater quantò meliùs, cuius hoc ad Augustum monitum extat. Diuinum illud numen omni modo, omni tempore ipse cole, iuxta leges patrias, & vt alij colant, effice. Eos verò qui in diuinis aliquid innouant, odio habe & coërce, non deorum sôlùm causâ (quos tamen qui contemnit, nec aliud sanè quicquam magni fecerit) sed quia noua quædam numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum. Vnde coniurationes, seditiones, conciliabula existunt ; res profectò minimè conducibiles principatui. O verba ab impio, & ad impium, nimis pia. Hæc vera prudentia, & Principi qui sapit, religio & veneratio, nulla alia, nisi vnius Dei tenenda est. Et tenenda ex ritu veteri. Maiorum instituta tueri, sacris, cæremonijsq; retinendis, sapientis est ; & patrios ritus migrare, aut violare, vbiq; gentium nefarium habetur. Puni igitur si quis turbat. Iure ille à dijs proximus habetur, per quem Deorũ maiestas vindicatur. Seriò, seriò hoc imbibe, nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamq; summa vi oportere defendi. Et initio cap : 3. idẽ sic scribit : *Ergo firmiter hæc nostra sententia est ; vnam religionem in vno regno seruari.* Hæc Lipsius ; cuius institutum in his verbis, idem est, quod Auctoris Pacis Non Pacis, scilicet ostendere, vnam debere in vno regno religionem seruari ; & vnionis in regno causam esse vnam religionem, à confusa verò & miscella religione, oriri semper turbas, coniurationes, seditiones, conciliabula, res principatui minimè conducibiles. Qua fronte igitur, mi Pacate, ausus es affirmare, auctorem non satis Lipsium legisse, aut minùs eum aptè contra Euangelicos traxisse ? *Frons meretricis* video *tibi facta est.* Vide vt in posterum cautiùs scribas, & ne impostorem agas. Author citauit Lipsij cap : 2. lib : 4. ciuilis doctrinæ, tu verò eum perinde impugnas, ac si cap : tertium eiusdem libri citasset, in quo de coërcendis miscellæ religionis auctoribus Lipsius disserit. Hæc impostura est, Pacate. Respondendum ubi est ad ea testimonia grauissimorum virorum,

Mecænas apud Dion. lib : 52.

Egregia Mecœnatis sentẽtia cõtra nouatores Religionis.

Lipsij doctrina de vnica in Regno Religione tuenda & defendẽda, & alijs excludendis ob turbas.

Pacatus agit impostorem.

virorum, quæ in suæ causæ confirmationem Lipsius, & ex eo Auctor adduxit, nimirum ex varia & confusa religione oriri dissidia & turbas. Audiamus ergo te. *Ægyptios grauiter errasse ais, quòd per miscellam religionem sceptra sua stabilire voluerint. Esto: Sed & tu erras, qui homines inter se de religione discordes conuenire, & pacem externam colere nunquam posse; sed dissensionibus semper mutuis agitari affirmas, & cur erres, monstraui antea.* Concedis itaq; errasse Ægyptios, quòd per miscellam religionem sceptra sua stabilire voluerint. Si id concedis, fateris quoq; proculdubio miscellam religionem habere aliquid, quominus idonea sit ad sceptra stabilienda. Dic itaq; quid illud sit: & cùm omnia cogitando perlustrâris, non inuenies aliud, quàm quia miscella religio est mater & nutrix dissensionum: miscella enim religio tollit fundamétum pacis, & amicitiæ ciuium inter se; nimirum diuinarum rerum cum beneuolentia & caritate summam consensionem; quo fundamento sublato, pax politica & communis ciuium beneuolentia & amicitia ruat, necesse est. Quomodo ergo ais, authorem PACIS NON PACIS errare, qui errorem in Ægyptijs notauit eum, quem tu quoq; errorem esse non diffiteris. Erratné is qui verum errorem in aliquo notat? Tu potiùs, Pacate, grauiter erras, qui alterum erroris accusas. Non est error dicere, ex miscella religione, perturbationem pacis politicæ nasci: sed est constans omnium senténtia, ab ipsis etiã tuis Symmystis approbata: cui quia tu subscribere non vis, maximo & grauissimo in errore versaris.

Sed, ais, te monstrauisse antea, homines de religione discordes pacem externam colere posse. Memini qua id ratione demonstraueris; commemorasti fœdera olim à fidelibus cum infidelibus inita: sed extra chorum saltasti; nõ enim quæcunq; fœdera cum infidelibus icta, nutriunt odia & dissensiones, sed fœdera religionis. Produxisti exempla Germaniæ, Galliæ &c. sed qua fide dixeris, in eis regionibus ex contrarietate religionum permissa, pacem veram germanam & solidam esse consecutam, quiuis iudicabit, qui ea

qui ea quæ ſupra cap: 6. ſcripſi, ſedulò perlegerit. Videris quoque in eo turpiter errare, quòd ex eo, quia interdum hæretici in aliquo Regno Catholicis permiſti, & hæreſi ſua palàm indulgentes, non ſemper ſeditiones & turbas concitant, nec ſemper claſſicum canunt, & ima ſummis permiſcent; colligis è veſtigio diuerſitatem religionum non eſſe natura ſua matrem & nutricem diſſenſionum. Quaſi verò neceſſe ſit cauſam aliquam ad effectum aliquem producẽdum natura ſua comparatam, ſemper illum producere, & ab eius effectione nunquam ceſſare. Sol natura ſua aptus eſt nubes cogere, ventos excitare, pluuias effundere; nunquid hos effectus producit quotidie? nunquid ſemper eſt nubilus, ventoſus, pluuius? nunquid non interdum atq; adeò ſæpe ſerenus, placidus, & quietus? Eiuſdem ingenij quoq; eſt hæreſis. Sic comparata eſt natura ſua, vt quietum Reipub. ſtatum perturbet, & ſeditionibus ac bellis omnia miſceat: ſed tamen aliquando ab his effectis producendis ceſſat, non ſuopte ingenio, ſed quia deſunt occaſiones, & opportunitates turbas ciendi, & diſſenſiones inter ciues mutuas cõcitandi: quinimò ſæpe talia impedimenta obijciuntur, quæ ab ea ſuperari non poſſunt. Quo caſu lupum imitatur, qui non ſemper infeſtis & cruentis dentibus oues dilaniat; non quia à natura ſua deſciſcat, aut ſe lupum eſſe neſciat; ſed quia paſtorum & canum fidam cuſtodiam, gregi præſtò eſſe videt & dolet: quæ præſidia, ſi abeſſe à grege cerneret, confeſtim ſe lupum eſſe, & dentibus à natura in oues armatum oſtenderet.

Cur aliquando hæretici non ſint æquè turbulenti.

Sed perge, Pacate: *Erras, ſi ab vnica religione, qualem tu fingis, ſtabile ſceptrum, & regnum pacatum alicui polliceris.* Hæc verò aperta eſt impietas, negare ab vna vera religione ſtabile ſceptrum, & Regnum pacatum prouenire. Conuincit te huius impietatis ſcriptura Sacra, quæ pijs Regibus, ob vnius veræ religionis conſeruandæ ſtudium, ſtabile & pacatum Regnum pollicetur. *Deſcribet* (inquit Scriptura) *ſibi Rex Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar*

Pacatus impiè negat ab vna vera religione pacem ſtabilem Regnis prouenire.

Deuter. 17.

Regnũ stabile & pacatum, fructus vnius veræ Religionis conseruatæ.

à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ; vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & cæremonias eius, &c. vt longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israël. En stabilitas, & perpetuitas regni, fructus conseruatæ vnius veræ legitimæ religionis. Similiter Deus ipse Salomonem allocutus dicitur: *Si ambulaueris coram me, & legitima mea seruaueris, ponam thronum Regni tui super Israël in sempiternum.* hoc præmio propagandi regni in seram posteritatem, ad colendam vnam, veram religionem eum alliciens. Quid? non legisti, Pacate, qui tibi multum versatus in scriptura videris, illa: *Fecit Asa Rex Iuda, quod bonum & placitum erat in conspectu Dei sui, & subuertit altaria peregrini cultus &c. & abstulit de cunctis vrbibus Iuda aras, & fana, & regnauit in pace. Ædificauit quoq; vrbes munitas in Iuda; quia quietus erat, & nulla temporibus eius bella surrexerant Domino largiente.* Non, inquam, legisti pij Regis studio, vnã veram religionem conseruandi, & impios cultus exterminandi, pacem Regni in præmium à Deo redditam? Nec latebat hic religionis veræ fructus, ipsum Regem Asa. Sic enim locutus ad populum legitur: *Ædificemus ciuitates istas, & vallemus muris, & roboremus turribus, & portis, & seris; donec à bellis quieta sunt omnia, eò quòd quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, & dederit nobis pacem per gyrum.* Iam verò sicut in Scriptura sacra legimus, vnam veram religionem pacata & stabilia sceptra reddidisse: ita diuersitatem religionis, legimus regna distraxisse, & pacem ex eis ac tranquillitatem sustulisse. Salomonis certè Regnum non poteris negare ideo distractum in duas partes fuisse, quòd eius permissu religio quoq; distracta fuerit: *Quia habuisti hoc apud te,* alloquitur Deus Salomonem, *& non custodisti pactum meum, disrumpens scindam regnum tuum.* Eademq; de causa hostilibus incursionibus regnum eius fuisse vexatum, satis constat ex illis scripturæ verbis: *Suscitauit autem Dominus aduersarium Salomoni Adad Idumæum.* Et infra: *Suscitauit quoq; ei Deus aduersarium Adarezer.* Ita factum, vt Salomonis regnum, nec stabile

3. Reg: 9.

2. Para: 14.

Diuersitas religionis regna distrahit.

3. Reg: 11.

3. Reg: 11. v. 14. & v. 23.

ſtabile eſſet, nec pacatum, ob admiſtam religioni idololatriam, & diſpares cultus introductos. Abi igitur, Pacate, cum tua hac veſania, qui vt Confœderationis cauſam tuearis, præſidium ab impietate mutuari neceſſe habes.

Sed ais: *Deus transfert & ſtabilit Regna, & excelſus dominatur in Regno hominum, & cuicunq; voluerit dabit illud.* Planè ita eſt; ſed legere etiam debueras illud: *Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* Trāsfert ergo Deus Regna in pœnam iſtorum criminum; quæ quidem vna hæreſis complexu ſuo continet vniuerſa: & qui dixerit in aliquo Regno hæreſim vigere, idem in eo iniuſtitias, iniurias, contumelias, & dolos affluere dixerit. Sed *religionum multitudo*, ais, *per ſe ſceptrum non auſert; neq; enim olim Ægyptijs, aut Iuliano Apoſtatæ; neq; hodie Turcis, apud quos quot Chriſtianorum degant ſectæ (vt Iudæos, alioſq; taceam) ipſi, in quot factiones diſciſſi ſunt (37. numerant) cunctis fermè notum eſt.* Exempla quæ profers examinare nolo; nam & longum & operoſum id eſſet. Argumenti ſolùm tui vim expendo, quod eſt huiuſmodi: Permultis non abſtulit, nec aufert ſceptrū religionū multitudo: ergo religionū multitudo per ſe nata nō eſt ſceptra auferre. Huic ſimile eſt hoc aliud: Inteſtinæ ſeditiones, & bella ciuilia, nonnullis ſceptra ex manibus nō extorſerunt: ergo inteſtinæ ſeditiones, & bella ciuilia, per ſe non ſunt apta ſceptra Regibus ex manibus extorquere. Negabitur vt puto à quouis ſano, huius poſterioris Enthymematis collectio: quia multa interuenire poſſunt, quominùs per ſeditiones & bella ciuilia ſceptrum à quopiam amittatur, cùm tamen ipſæmet ſeditiones, & ciuilia bella, planiſſimam ad amiſſionem ſceptri viam, natura ſua ſternent. Sic itaq; neganda etiam eſt tua collectio. Multa enim ſæpe incidunt, quæ prohibent, quominùs auferatur alicui ſceptrum, etſi contrarias religiones in ſuo regno foueat: cùm tamen ipſamet varia & multiplex religio, ob inteſtina diſſidia ciuium, quæ nutrit, ſceptra quoq; ipſa Regum in extremum diſcri-

Dan: 2. v. 21. & c. 4. v. 14.

Eccl: 10.

Vitioſa Pacati collectio.

N men ex

men ex se sit apta adducere. Quare sicut nemo sanus dicat, ferendas esse in regno seditiones,& bella domestica cōcitanda, propterea, quòd sæpe per eiusmodi seditiones, & bella, sceptra non fuerint amissa; ita nemo sanus dixerit, ferendas esse in regno multiplices & varias religiones, eò quòd accidat, vt cum illis saluum alicui & incolume sceptrū maneat. Non sola enim amissio sceptri, Reipub. & generi hominum perniciosa, & luctuosa esse solet; sed etiam ipsa dissidia, dissensiones, odia ciuium inter se, maximo Regna & Respub. afficiunt detrimento, ac proinde omni studio & diligentia causæ illorum & occasiones sunt amputandæ.

Frustra se tuetur Pacatus Iudæorum exēplo.

Pergis. *Iudæorum Synagogæ ab ipsis Pontificibus non modo sine damno, sed etiam magno cum lucro in Italia toleratæ sunt. Venetijs tum Iudæi, tum Græci, Mantuæ Marrani cum Catholicis sine seditione diu vixêre. Religionum igitur pluralitas, non necessaria turbarum causa.* Non ita colligere debueras, Pacate, sed hunc in modū: Ergo inita fuit ratio, qua Iudæi & Marrani in officio continerentur, ne seditiones cōtra Christianos cōcitarent. Qua ratione si cum hæreticis quoq; ageretur, & illis legum vinculis, quibus Iudæi & Marrani in Italia, ipsi quoq; in Catholicis prouincijs adstricti tenerētur; non ita essent ab illis seditiones & bella ciuilia metuēda: sed quia tam duram hæresis superba cōditionem pati non potest, non debet quoq; sese Iudaicæ & Mahometanæ superstitionis exemplo tueri.

Hæresis sicut fera bellua caueæ inclusa periculosa.

Adde, quòd sicut minimè tutum est ac securum bestias aliquas feras & immanes, etsi caueis inclusas & custodia septas, in medijs vrbibus alere, eò quòd periculū sit, ne aliquando è caueis elapsæ per incuriam custodum, ingentē hominum stragem efficiant: ita minimè tutum, & securum est, hæresim tanquam feram & immanē belluam, etsi legibus vndique conclusam, & custodia firma vallatam, in regnis fouere & alere. Periculum enim est, ne si aucta & corroborata, legum vincula disrumpat, & custodum vigilantiam eludat, solita immanitate in Catholicam Ecclesiā grassetur, & Reipubl. perspicuam perniciem afferat.

Quid ha-

Quid habes præterea, Pacate? Exemplis in medium productis vis ostendere, inter eos etiam odia, seditiones, & bella extitisse, qui eiusdem fuissent religionis. Quid tum? quid inde efficis? Hoc nimirum, vnam religionem minimè Regna stabilire, & pacata reddere: dignam tuo cerebro collectionem. Quasi verò vna vera religio, etsi natura sua sceptra stabiliat, & pacata conseruet, omnes iccirco ex eis odiorum & dissidiorum radices penitus euellat; quæ si pullulent & incrementum accipiant, necesse est seditiones & bella excitari. Itaq; sicut non ab vna hæresi existunt in Rebuspub. grauissimæ rerum perturbationes; nam etiam ambitio, contemptus, aut neglectus legum, priuati commodi studium, aliquorum immanitas & tyrannis, solent Respub. non mediocriter perturbare, & ciuium etiam manus in mutuam perniciem armare: sic non sola est religio vera, quæ regna stabilit, & tranquilla reddit; sed necesse est, vt aliarum quoq; virtutum comitatu sit instructa, quæ si defuerint, cõcurretur ad arma, vitijs materiam bellorum ministrantibus; etsi quàm maximè religio vera, in concordiam ciues velit redigere. Quare omnes illi, qui de disciplina ciuili scribunt, cùm eas, quæ Regna & Respub. pacatas, & tranquillas reddunt, causas numerant; primo loco religionem vnam ponunt, cui Iustitiam, custodiam legum, erga magistratus obseruantiam, temperantiam, & alias virtutes Regnorum conseruatrices adnectunt; ita vicissim cùm interitus vel mutationis Regnorum & Rerumpub. causas volunt afferre, primo loco Impietatem, & neglectum vnius veræ religionis assignant, cui plurima alia vitia, tanquam certissimas Regnorum pestes subiungunt. Quod quidem si ignorasti, Pacate, hebes & rudis; si dissimulasti, veterator callidus es.

Prima conseruatrix virtus Regnorũ Religio.

Prima pestis Regnorum hæresis.

Sed ægrè fers, bellorum plusquam ciuilium, & plusquã crudeliter nostro æuo in Europa exercitorum, causam ab authore PACIS NON PACIS transferri in eos, qui à Papa Romano discesserunt. Dicis; *eadem vos premi inuidia, qua*

ſemper Dei populus, quà Propheta, quà Apoſtoli, quà deniq; Chriſtus ipſe preſſius eſt. In quem campum digreſſus, latè ſpatiaris, ſcripturæ exempla, & ad marginem citationes congeris, vt doctus tuis videaris. Expediam te breuiter: Fruſtra laboras, Pacate, vt tuorum Euangelicorum cauſam communé cum populo Dei, cum Prophetis, Apoſtolis, & Chriſto facias. Tuorum Euangelicorum, qui Germaniam, Galliam, & Belgium grauiſſimis bellis perturbârunt, cauſa eadem eſt, quæ olim in populo Dei Theodæ & Iudæ Galilæi, qui dicebant
Act: 5. ſe eſſe aliquid, vt ſcribit Lucas; *& auerterunt populum poſt ſe, qui contra proprios principes & magiſtratus ſeditione religionis cauſa mota, populum in ſuam & aliorum perniciem armârunt.*

Poſt longam digreſſionem redis ad bellorum dictorũ authores. Rectiùs feciſſes, ſi recto itinere nihil digreſſus perrexiſſes. Sed grandiuſculus libellus erat ſcribendus, & tanquam cento varijs rebus ad propoſitum minimè ſpectãtibus infarciendus. *In Germania*, inquis, *bellum ruſticorum poſt exortam Euangelij lucem primum fuit, cuius culpam in Lutherum transfertis, quâ fronte, quo ore?* Mirum Euangelij lucem tempore primùm Lutheri mundo exortam. Vel hoc ſolùm nomine, non dubito affirmare, illud Chriſti non eſſe. Si enim Chriſti fuiſſet, certè omnibus antegreſſis temporibus, lucerna Euangelij Chriſti, non ſuper candelabrum vt luceret omnibus qui in domo ſunt, ſed ſub modio collocata fuiſſet: at hoc Chriſtus ipſe negat cùm dicit: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum; vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Sed hoc vobis ſolenne eſt hæreticis, vt ſemper aliquid noui mundo vos attuliſſe gloriemini. Veſtra iſta gloriatio eſt, lucem Euangelij per vos Germaniæ, atq; adeò Chriſtiano orbi eſſe accenſam. Sed ſcitis, quam vobis pro hoc beneficio gratiam habemus; eam, quam olim habuit D. Hieronym⁹ Origeniſtis, quorum vni dicebat: *Cur poſt quadringentos annos docere non niteris, quod ante neſciuimus? vſq; ad hunc diem, ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit.* Eodem nos iure dicimus vobis; Cur poſt mille quingentos

Marginalia: *Euangeliũ Lutheri quia nouũ, nõ eſt Chriſti.* — *Luc: 11.* — *In epiſt: ad Pammachium & Oceanum.*

gentos & ampliùs annos docere nos nitimini, quod ante nesciuimus? vsq; ad hanc ætatem, sine ista doctrina mundus Christianus fuit, & lucem Euangelij aspexit. Habete ergo vobis vestrum nouum Euangelium, & eius noua luce oculos vestros & mentes pascite: nos veteri Christi, Apostolorum, & Patrum nostrorum Euangelio, quod à Christo semel accensum, & tanquam lucerna in Ecclesiæ Catholicæ Romanæ candelabro collocatum, nunquā destitit domum Dei & habitatores eius collustrare, contenti sumus. Nos in hunc Euangelij Christi, & maiorum nostrorum solem, tanquam generosi aquilæ pulli, nō conniuentes oculos intendimus; vos tanquam noctuæ & vespertiliones, nocturnam lucem captate, & in ea ad horam exultate. Post hanc ergo Euangelij vestri nocturnam lucem, bellum rusticorum exortum, miraris qua fronte, quo ore, Luthero tanquam authori adscribamus. Audire volo, quomodo illum ab hac graui accusatione purges. *An non, ais, ille postulatis rusticorum, quæ ediderant, publico scripto respondit, & ad obedientiā hortatus, à seditione dehortatus est? An non ille, cùm rustici pertinaciùs in suo instituto pergerent, classicum contrà eos cecinit; Principesq; ferè attonitos, seditiosis obuios ire iussit? An non in extinguendo hoc incendio, Euangelicorum quoq; opera enituit? Clamant hoc Acta publica, euincunt historiarum documenta, ostendunt Lutheri scripta:* Et ego vicissim dico, clamant Acta publica, euincunt historiarum documenta, ostendunt Lutheri scripta, belli rusticorum, Lutherum primum authorem & Euangelicos incentores fuisse. Qua tu ergo fronte, quo ore, Pacate, id negare audes? Extant in tomis Lutheri Epistolæ duæ Georgij Saxoniæ Ducis, religiosissimi & Catholicissimi Principis, quas ad ipsum Lutherum de fructibus Euangelij nouiter ab eo reperti scripsit. In quarum priore hæc habet: *Wittenbergæ Asylum excitasti, vt omnes Monachi & Moniales, qui Templa ac Monasteria nostra, furtis, & direptionibus deprædantur, apud te habeant refugium; & receptaculum, tanquam si Wittēberga, vt vel leuissimè dicam, sit commune domicilium om-*

Pacatus nititur ostendere Lutherum nō fuisse auctorē belli rusticorū in Germania.

Extat tom: 3. German. Ienen. pag. 189.

Refellitur testimonio Georgij Saxoniæ Ducis.

Fructus Euãgelij Lutheri. *nium apostatarum ditionis nostræ. Quando plura sacrilegia personarum Deo consecratarum acciderunt, quàm à tempore noui Euangelij tui? Quando plures rebelliones contra Magistratus legitimos excitatæ, quàm ex tuo Euangelio? Quando plura furta & latrocinia perpetrata? Hæc portenta tuum nobis Euangelium peperit, quod sub scamno latens produxisti. Et profectò admodùm conuenienti nomine illud insignisti, cùm ex inferni scamni latebris productum aperis. Bonum prorsus esset, si adhuc sub scamno lateret. Si enim adhuc aliquod eius simile produxeris, nullus remanebit nobis rusticus. Si tale Euangelium Christo placuisset, sanè adeò frequenter non iterasset illud, Pax vobis: Sanctus Petrus & Paulus non dixissent, obediendum esse Superioribus. Quamobrem hi fructus, magnum in nobis excitant horrorem & abominationem tuæ doctrinæ & Euangelij. Age, Luthere, serua tu tibi tuum Euangelium, quod ex scamni latebris protulisti: Nos Euangelio Christi adhærebimus, sicut illud Ecclesia Christi recipit, & seruat.* In posteriore verò epistola ita scribit.

Extat tom. 4 Ienen: German: pag: 545. *Ex hac (i. Lutheri) impia doctrina, concionibus, disputationibus, & scriptis, nil aliud prodijt, quàm hi fæculenti fructus, nempe veluti impuri quidam, & venenati vermes ex cœnosa cloaca; videlicet non solùm carnalis, sed etiam bruta quædam & diabolica libertas, contumacia, temeritas, impudentia, & cruentæ seditiones infelicium ac seductorum subditorum.* I nunc, Pacate, & oppone huic clarissimo Principi, quo ore, & qua fronte Lutherum belli rusticorum authorem faciat, idq; ipsimet Luthero in epistolis ad eum datis obijciat?

Atq; vt hæc res fiat testatior, & nec os, nec frontem à nobis desideres; paucis accipe, quo pacto Lutherus, Euangelio & scriptis suis, rusticis author fuerit, vt arma scelerata contra legitimos suos Dominos corriperent. Ediderat Lutherus cruentam quandam Bullam, atq; Reformationem contra Catholicos Episcopos, adeoq; contra totum ordinem Ecclesiasticum, quam Bullam inseruerat suo libro virulentissimo, quem inscripsit, Contra falsò dictum ordinem Ecclesiasticum, qui liber in operibus Lutheri etiamnum extat. Eam verò Bullam, quia breuis est, totam hoc

loco in-

loco inseram: *Nunc attendite*, inquit, *vos Episcopi, imò laruæ diaboli: Doctor Lutherus vult vobis Bullam & Reformationem legere, quæ vobis non benè sonabit. Doctoris Lutheri Bulla & Reformatio: Quicunq; opem ferunt, corpus, bona, & famam in hoc impendunt, vt Episcopatus deuastentur, & Episcoporum regimen extinguatur; hi sunt electi filij Dei, & veri Christiani, obseruantes præcepta Dei, & repugnãtes ordinationibus diaboli: Aut si hoc nõ possunt, regimen tamen illud saltem condemnant, & vetant. Contra verò, quicunq; manu tenent Episcoporum regimen, eisq; obediunt voluntaria obedientia, hi sunt diaboli ministri proprij, & repugnant Dei ordinationi & legi.* Atq; hæc Bulla & promissio noua Lutheri, & hactenus in Ecclesia inaudita, veluti classicum quoddam rusticos ad arma conciuit, vt Episcopatibus deuastatis, ipsos Episcopos & Ecclesiasticos omnes penitus opprimerent, & sic in electorum, & filiorum Dei numerum referrentur. Iam si rustici eum in exequenda Bulla modum tenuissent, quem Lutherus ipse præscripsit, hoc est, si tantùm Ecclesiasticum ordinem ad internecionem delere decreuissent, neq; læsissent præterea quẽquã; sine dubio Lutherus suauiter in sinu risisset. Quia verò terminos ab eo cõstitutos egressi, etiã Nobiles, Comites, adeoque Principes adoriri cœperunt; Lutherus aliud deinde classicum cecinit, & totum mundum ad rusticos instar rabidorum canum trucidandos concitauit, vt Luthero acceptum ferendum sit, quòd miseri rustici corpus, bona, sanguinem & vitam amiserint. Atq; id Lutherus ipse non ignorauit, quemadmodum hæc verba illius in Colloquiis mensalibus prolata testantur: *Ego Martinus Lutherus*, inquit, *in bello rustico omnes rusticos occidi. Omnium eorum sanguis in meis humeris est.* Vbi ergo est os tuum, Pacate, vbi frons, qui belli rustici authorẽ negas Lutherum? Cur eam gloriam Luthero eripis, quæ eum in omnem posteritatẽ celebrem facere sola potest? Tibiné potiùs, quàm Saxoniæ Duci, quàm ipsi Luthero vt credamus? Quid quod historicus tuus Sleidanus, mirus vbiq; Lutheri laudator & defensor, cùm de hoc bello agit, fatetur Lutherum scripsisse Principibus,

Tom 2. Ienensi Ger: fol: 132.

Bulla Lutheri cruenta in Ecclesiasticos.

Colloq: mens fol: 250.

cipibus, eorum dominatum, homines nec posse, nec velle, nec sanè debere ferre diutiùs; negotium hoc plebis in ipsos surgentis, Deum agere, & bellum eis facere, & impietatis ipsorum pœnas exposcere. An non hoc erat, Pacate, subditos in principes armare?

Lutherus author belli Protestātium contra Carolū V.

Pergis: *Secutū est post annos aliquot bellum, quod vocatur Protestantium, cuius nullum alium, quàm Papam Paulum 3. authorem inuenies.* Imò inuenies eius belli authorem Lutherum. Cuius doctrina & Euangelio, vt Sleidanus memoriæ prodidit, confirmati Principes Protestantes, hoc solenne decretum fecerunt: *Quia Cæsar religioni exitium molitur, & libertati, causam præbet, cur ipsum oppugnemus bona conscientia. Cùm enim in eum casum res deuenit, licet resistere, sicut & sacris, & prophanis historiis doceri potest.* Cæterum Carolus V. non aliter poterat fingi exitium religioni & libertati moliri, quàm quia pro muneris sui ratione, hæresim Lutheranam nō patiebatur omnem Germaniā occupare. Quo nomine an sit author belli Protestantium censendus, quiuis iudicet. Nam quòd de Paulo 3. dicit Pacatus, dicit non probat. Illud ego in mentem ipsi reuoco, Prædicantes Lutheranos, eo ipso anno quo rebellio Lutheranorum Principum erga Cæsarem in apertum erupit, euulgasse librum hoc titulo: ÆTERNÆ, DIVINÆ, ET SEMPITERNÆ MAIESTATIS DECLARATIO, CONTRA CÆSAREM CAROLVM. In quo libro eum omni potestate Imperiali priuârunt, & Cæsareis insignibus exuerunt. *Gallicos motus,* ais, *non sine horrore recolo. Horum quis author? Papæ & Guisiorum ambitio:* Imò Hugonotarū spiritus Martius, contra proprios Reges & Magistratum rebellis. Remitto Lectorem ad ea, quæ capite quinto retuli, ex annalibus Ecclesiæ Aurelianensis, de initio motuū Gallicorum ab Euangelicis facto, vbi etiam descripsi epistolam cuiusdam Galli, in qua apparatum bellicum Euangelicorū, Parisiis ad conciones prodeuntium depinxit; qui apparatus bellorum Gallicorum præludium fuit. Recolat præterea Lector, quæ ex Florimundo Remundo Gallo de bellis Gallicis cap: 6. recitaui.

Gallicorum bellorū authores Euāgelici.

Quod si

Quod si hæc non sufficiunt, consulatur Guilhelmus Rosæus, qui refert, à primo Caluinismi iacto in Gallia lapide, omnia acta Caluinistarum nihil aliud fuisse, quàm violationes & contemptiones legum, quas suprema in Galliis authoritas Regia & Parlamentaris sanciuerat. Multa statuerat Franciscus I. contra hanc hæresim, suis temporibus in Gallia serpere incipientem: multa paternis sanctionibus addidit Henricus secundus,& eius filius Franciscus secundus,qui tale edictum promulgari contra Caluinistas fecerat: *Quoniam contra edicta Francisci & Henrici secundi, nocturna in ciuitate Parisiensi audiuimus fieri conuenticula, in quibus sacramenta, contra ritus Ecclesiæ Catholicæ ministrantur; prohibemus ea in posterum. &c.* Tantùm verò abest, vt huic edicto Caluinistæ paruerint, vt postea multò magis quàm antea, temporibus nocturnis sua tenebrarum opera peregerint. Deinceps verò media luce conueniebant; & in concionibus suis contra Regem nominatim inuehebantur: & libros quoque famosos passim spargebant. quibus modis necesse erat malum ingrauescere. Et multa quidem multis in locis proditoriè contra Regem, seditiosè contra Rempublicam, impiè contra Deum gerebantur; sed tamen propter reorum multitudinem Consilio Regis visum est, cum illis indulgenter agere, & meliora ab ijsdem in posterum sperare. Ergo venia præteritorũ scelerum Caluinistis omnibus facta est,exceptis tamen ab hac indulgentia Ministris verbi, & qui sub velo religionis contra Regem, Reginam matrem, vxorem, fratres Regis, Principes consiliarios,aut contra statum Reipub. coniurauerant. Sed hoc decretum camino oleum addidit, & incendium multò vehementius auxit. Ministri enim verè incendiarij, & flabella seditionum, tum demum multò pluribus mendaciis, rythmis, famosis libellis, contra Regem, principesque regios emissis; & Regem, & Principes toti populo, maximè suis auditoribus quàm odiosissimos reddere satagebant: & denique de Rege Principibusque vno impetu interficiendis, consilia

dira machinabantur. Secuta est mox coniuratio Ambosiana; & cùm insidijs fraudibusq́, Caluinistæ, quod volebant, non potuerunt consequi, in apertas rebelliones eruperunt, prælioq; Drecisiorum vtriq; parti, & Catholicis, & Caluinistis cruento decertârunt. Hæc iste peritissimus rerũ Gallicarum scriptor, cui consentanea Michaël ab Isselt, & Surius in suis commentariis, & Genebrardus in Chronologia, memoriæ prodiderunt.

Pacati fraus

Non est autem hoc loco dissimulanda insignis fraus, & versutia nostri Pacati, qui tam multis ciuilibus bellis inter Catholicos & Hugonotas in Gallia gestis, silentio inuolutis, quorum causam penes Hugonotas fuisse, negare non potuit; eius solùm meminit, quod penè vltimo loco gestum est, cuius occasiónem præbuit Gallicæ coronæ successio, quæ ad diuersos in illo regno Principes pertinere ferebatur. Quo in bello, si Catholici à partibus Catholicorum Principum contra hæreticos stabant; non video cur hoc sit eis vitio vertẽdũ, qui Christianissimũ Regnũ, ad hæreticos peruenire pati nõ poterant: cùm nõ deessent Principes Catholici, qui regni successionẽ ad se quoq; iure pertinere contenderẽt. Porrò de Scotia qualẽ narrationẽ texas, Pacate, non libet commemorare. Nam tuam vanitatem refellit manifestissimè Iacobus ipse Angliæ & Scotiæ Rex Serenissimus, in suo Basilico doro; in quo omnium tumultuũ & seditionum Scoticarũ causam refert in Puritanos Ministros, quos proprijs coloribus mirè depingit. Appellat eos *igneæ naturæ Concionatores*; *qui eò potentiæ apud populum prouehebantur, vt dulcedinem iam Imperij degustantes, inciperent nescio quam democraticam Reipublicæ formam sibi somniare:* imò ait, certa spe tribunitiam planè potestatem eos in Scotia deuorasse, omninoq́; rerum summam obtinuisse, dum imperitam plebeculam quò vellent ducerent, vnde autem vellent deducerent. Addit ob eam causam ex illo tempore nunquam aliquam in Scotia seditionem ortam esse, quin illius factionis antesignani, solicitè id agerent, vt turbu-

Tumultuum Scoticorũ authores Ministri Puritani.

Ministri Scotici describuntur à Iacobo Rege Angliæ.

vt turbulentos illos concionatorum ſpiritus ad ſuas partes pertraherent, quorum patrocinio res gereretur. Præterea refert, ſæpius in concionibus, & pro roſtris ſe fuiſſe ab illis laceſſitum, non alio nomine, niſi quia Rex eſſet, quo nullum maius malum eſſe exiſtimârunt. Ibidem his eos encomijs ornat, quòd ſint vera Eccleſiæ & Reipub. peſtis, quos nulla merita deuincire, nulla iuramenta aſtringere, nulla promiſſa obligare poſſint: quòd præter ſeditionem & calumniam, nihil ſpirent, præter modum & modeſtiam: ambitioſè aſpirent, ſine ratione: maledicta ingerãt: commẽta ſua ſine authoritate verbi Diuini tanquam Lesbias regulas conſcientijs fabricent. Deniq; Deum ſummum appellat Rex, nuſquam inter montanos barbaros, vel limitaneos latrones quenquam reperturum magis ingratos, magis periuros, quàm phanaticos illos Puritanorum ſpiritus.

Habes, Pacate, iudicium tanti Regis, de perfectiſſimis & abſolutiſſimis Euangelicis, videlicet Puritanis; conſidera elogia ipſorum, & authores alios in Scotia ſeditionum & tumultuum ne inquire. Crede Regi Scotiæ de ſuo regno ſcribenti; nullus eo grauior, & fidelior hiſtoricus ad te reuincendum poteſt afferri. Quod verò Mariam Scotiæ Reginam eiuſdem Iacobi Regis matrem memoras, incredibilem furorem, & impietatem tuorum Euangelicorum mihi in mentem reuocas. Hi enim Reginam illam Catholiciſſimam & pientiſſimam, bello in Scotia infeſtatam, in carcerem coniecerunt, & in ordinem ſimpliciter redigendam vociferati ſunt: nec ferendum, vt vel priuatim ritu Catholico viueret, & Miſſam in ſuo regno audiret. Audi Buccananum. *Kalendis Nouembr. ad Miſſam adhuc tenuem, & quotidiano cultu contentam, omnem Papariæ Eccleſiæ faſtum Regina adiecit. Id cùm Euangelij Miniſtri tuliſſent ægerrimè, & in publicis cœtibus, magnis cæremonijs rem proſecuti fuiſſent, ac nobilitatem ſui officij commonuiſſent; controuerſia in domo priuata inter paucos eſt agitata, poſſentnè idololatriam, iam iam in omnium perniciem graſſaturam compeſcere, & ſummum magiſtratum, quando ipſe nullum ſibi modum*

Miniſtri Scotici quid deſignarint in Mariam Scotiæ Reginam.

Buccan. li: 17. hi: Scotica.

statuat, intra legum præscripta per vim reducere. Ecclesiæ Ministri in sententia superioribus temporibus approbata constanter permanserunt, posse videlicet magistratū sub leges vi cogi. Nostin' Buccananum scriptorem esse Euangelicum? Ex illo ergo disce Ministrorum Euangelicorum ingenium tumultuosum, seditiosum, vim & arma spirans. Discant & Catholici, credendumnè sit Euangelicis, cùm se demissè & modestè pacem sectari, pacem cum omnibus colere velle profitentur, cùm se tyrannico more conscientijs dominari negant. Quæ enim maior excogitari tyrannica dominatio in conscientias potuit, quàm à subditis proprijs, Reginā in proprio Regno, à Missā audienda prohiberi, & vim armaq; ni pareret ei intentari? Si ea ratione Euangelici à suis concionibus, & cœtibus, per Catholicos arcerentur, an non Dei hominumque fidem testarentur, grauissimam in se tyrannidem exerceri? Sed non his Ministrorum Euangelicorum in Scotia furor limitibus sese continuit. Eandem Mariam Reginam suam de throno regali proprio deiecerunt, captam in carcerem abdiderunt; *cùm interim*, vt Buccanani verbis vtar, *concors ab omnibus Euangelicis clamor sublatus esset, vt meretrix & parricida cremaretur.* Idem Buccananus eodem loco indignissima ludibria commemorat, quæ Princeps optima à suis subditis, noui Euangelij enthusiasmo percitis pertulit. Deniq; vt rem in pauca contraham, eandem Scotorum Reginam regno suo profugam, perfidia plusquā Punica, in vincula perpetua Euangelici Angli coniecerunt; & post multorum annorum diuturnum carcerem, tandem neci præcisis ceruicibus dederunt, hac solùm de causa, quia Catholica erat: quia metuebant, ne si vt proxima hæres, in regnum Angliæ succederet, Caluinismum eò vnde venerat redire iuberet. Scimus quidem eos nescio quæ scelera Reginæ immanitati suæ prætexere; sed nulli ideo præter Caluinistas innocentiam suam probabunt: Regem tamen Serenissimum Iacobum eius filium excipio, qui sat scio nunquàm fatebitur, Serenissimam Matrem suam, eorùm quæ ei obijci-

Ministri tyrannidem in Reginam propriam exercebāt.

Buccan: li: 18. hi: Scot.

Maria Scotiæ Regina in Anglia ab Euangelicis cæsa quia Catholica erat.

ei obijciebantur, ſcelerum & flagitiorum fuiſſe conſciam, aut conuictam, ac proinde meritò ſecuri percuſſam.

Habes de Scotia, Pacate. De Belgio quoque iam accipe. Fatemur, quod res eſt, Inquiſitionem in cauſa religionis in Belgio ſub initium naſcentis ibidem Euangelii veſtri viguiſſe, & à veſtræ ſectæ hominibus vehementer eſſe improbatam, quòd per eam viderent Euangelio ſuo maximũ obſtaculum in Belgio obijci. Hanc illi Inquiſitionẽ à Principe Parmenſi per libellum ſupplicem deprecabantur, perturbationes grauiſſimas hac de cauſa in Repub. exorituras denunciantes, teſtanteſque extra culpam ſe futuros, ſi tempeſtiuè de periculo monentibus non pareatur. Quod tamen non ea tum modeſtia poſtulárunt, quin multa quædam indigna committerent; adeò vt Parmenſis, anceps & animo conſternata, cùm metum diſſimulare non poſſet, de ſecuriori loco quò ſe reciperet cogitaret. Quam ex Proceribus quidam fertur conſolatus lingua vernacula: *Non: non. Madame*, inquit, *ne craigne pas ces Geux*; id eſt: Nequaquam Domina, ne metuas hos mendicos. Quæ verba obſeruata occaſionem præbuerũt, vti nouarum ſtudioſi religionum poſtea Geuſij ſint appellati. Per eoſdem enim dies prandebãt vnà tercentum fœderati, qui de Inquiſitione abroganda Parmenſi ſupplicauerant: & ibi tum quidam ex illis totam illam multitudinem voce Gallica Geuſios appellaſſe fertur, libenterque in Regis, & Patriæ gratiam Geuſios omnes futuros ſæpius repetiiſſe. Magnis inde conuiuantium vocibus, ſumptis ingentibus ciatis, totis ædibus de Geuſiorum ſalute, fauſtis hiſce acclamationibus decertatũ, *Viuat Rex, viuant Geuſij.* Vnum verò ex eodem numero, manticam è trabe ſuſpẽdiſſe: ſub trabe porrò fauſtam Regi Geuſiiſq; potationẽ conuiuis indixiſſe, iuriſiurandi formulam eam potanti præſcripſiſſe, vti per panem, ſalẽ, atq; manticã, non diſceſſurum ſe ab inſtituto profiteretur. Creſcebat bacchantium furor: galeri permutabantur: inuerſi capitibus imponebantur: ad ſingula quæq; momenta; Viuat Rex, viuant Geu-

Legatur etiam Iſſelt anno 1567.

Origo tumultuum Belgicorũ.

Geuſij vnde appellati.

Vide Michaelẽ ab Iſſelt initio ſuæ hiſtoriæ

uant Geusii, inclamabatur. Repetita inde re per dies insequentes, vestes è panno cinericio fœderati assumpserunt: minutas è ligno scutellas poculaque, leprosorũ instar, è galero suspenderunt: vt vno latere Regis effigiem, his verbis circumscriptam, *Fidelis Regi*; altero duabus fœderatis manibus implicatam manticam, hisce adiectis verbis: *Vsque Ad Manticam*, haberent; radi sibi postremò prȩter labrum superius barbam reliquam iusserũt. Hinc Geusiorum nata est compellatio. Hæc fuerũt primordia & initia tumultuum Belgicorum, ex quibus memorabile illud bellum extitit, quod in plurimos annos varia fortuna ductum est.

Hic tu, scio, gaudebis in sinu, quòd videar tibi concedere Inquisitionem Hispanicam, Belgicorum motuum & bellorum causam præbuisse. Non causa ista fuit, Pacate; sed ab Euangelicis arreptus libenter prætextus, submoto obstaculo res nouas moliendi, & nouum Euangeliũ armis belloq; contra Regem, & Magistratum repugnantem propagandi. Nam si Belgis tantopere Hispanica Inquisitio displicuit, cur ea grauiorem & acerbiorem aliam Hollandi in suam regionem contra Catholicam Romanam fidem inuexerunt? Redi, Pacate, ad ea, quæ superiùs attuli, & vel inuitus fatebere, ex Inquisitione Hispanica, bellorum & armorum occasionem libenter quæsitam, vt nouum Euangelium in Martio strepitu, classicis & lituis perstrepentibus & personantibus, feliciores progressus haberet.

Cap: 7.

De Mœcenatis consilio quid dicas, libens audio. *Eos qui in diuinis aliquid innouant odio habendos & coërcendos ille suadebat, & tu approbas. Quæro ex te, num omnis innouatio mala & damnanda? Non. Sed illa quæ in vera de Deo, eius essentia & voluntate doctrina, aliquid innouat.* Illam quoq; ipsam innouationẽ, malam & damnandam esse Catholici iudicamus. Sed quî te ab huiusmodi innouatione, tuosque Euangelicos vindicas, & innoxium esse probas, nisi sola simplici affirmatione, cuius non ea est apud nos authoritas vt tu putas? Nouatores

uatores estis Euangelici, & hoc vobis nomen doctrina vestra noua recentiq; peperistis. Noua dogmata vestra sunt, Corporis Christi vera & realis vbiquitas & omnipræsentia: bona opera iustorum esse sordes & inquinamenta: Deum ex seipso multos sine vlla ipsorum culpa ad mortem æternam destinasse: legem Dei seruatu esse impossibilem: nullum esse in Ecclesia Christi verum reale incruentum corporis & sanguinis Christi sacrificium: Principes laicos esse suprema suarum Ecclesiarum capita: non esse Deo nuncupata vota seruanda; non esse vllam nomini Sanctissimo IESV reuerentiam exhibendam: & similia, quæ prætereo, nouitia sunt dogmata, nuper nata, & in pretioso Ecclesiæ Catholicæ deposito à temporibus Apostolorum nunquam hactenus reperta. Hi sunt Dij vestri noui, de quibus vsurpare possumus illud: *Noui recentesq; venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Hæc dogmata non vnigenitus, qui est in sinu patris, vobis enarrauit, sed malus genius, *qui ab initio in veritate non stetit*, inspirauit. Quare non immeritò quidam vir doctus Dæmonicolas vos appellauit; quia scilicet colitis & veneramini dogmata à dæmone profecta, & antesignanis sectæ vestræ suggesta. Vnde enim hoc dogma, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus; id est: Hoc nempe panis significat corpus meum: Hic nempe calix significat sanguinem meum? Vnde, inquam, hoc dogma, vt & illud Caluini: Hoc est figura corporis, & sanguinis mei? nisi à diabolo, teste Zuinglio, qui id sibi somnianti à monitore quodã (*ater an albus fuerit, se nescire dicit*) suggestum palam scribit? Vnde doctrina illa originem traxit, Missam non esse sacrificium, sed extremam abominationem; nisi à diabolo, qui cum Luthero profunda sub nocte disputationem instituit, eique argumenta euertendæ Missæ suppeditauit, vt ipsemet Lutherus in libro de Missa angulari scriptum reliquit? Vnde prodiit insanum illud Lutheri, Philippi, Zuinglij, Caluini, Bezæ portentum; Deum esse auctorem peccati; nisi à Cacodæmone? Cùm igitur tam

Noua dogmata Euangelicorum.

Deut: 32.

Gretser: cõtra Regem Angliæ cap: 13.

Nonnulla à Dæmone profecta.

Zuingl. in subsidio de Eucharist.

tur tam multa nouitia dogmata à Christi doctrina alienissima inueneritis, rectè Mœcenatis consilium Augusto datũ contra vos est ab Auctore allegatum.

Verè canitur de Sacramento Eucharistiæ, Non est panis sed est Deus.

Sed tu nobis vicissim obijcis noua dogmata, quæ numina appellas à nobis introducta. *Quis Apostolorum*, ais, *aut Apostolicorum virorum, de pane cœnæ Dominicæ ita cecinit: Non est panis sed est Deus?* Hussus quidem huius cantici author dicitur, non Catholicorum quispiam; sed tamen hæc verba Catholica sunt, ex Apostolo petita; qui manducantes indignè, ait, iudicium sibi manducare, *eò quòd non diiudicent corpus Domini.* En Apostolus panem Eucharisticum, corpus Domini vocat. Si ergo verum est, corpus Domini nõ esse panem triticeum, verum quoq; est panem Eucharisticum qui est corpus Domini, non esse panem triticeum, qualem vos in Symposijs vestris Euangelicis proponitis. Quod si demonstrato Christi corpore in sepulchro posito verissimè dici poterat; Hîc iacet conditus Deus: non minùs verè dici potest, & debet, demonstrato Christi corpore in Eucharistia, Hîc est Deus. Rectè ergo cecinit, quisquis cecinit, de pane Eucharistico in substantiam Christi conuerso; *Non est panis*, intellige triticeus, *sed est Deus.*

1. Cor. 11.

Non est Catholicorum sententia, Sacerdotem esse Creatorẽ sui Creatoris.

Perge vltra, & noua alia, si quæ habes, dogmata Catholicis obijce. *Quis scripsit*, ais, *creatorẽ se esse sui creatoris?* Dicuntur ista verba reperiri in libro dicto, Lauacrum conscientiæ, de sacerdote sacrosanctam Eucharistiam consecrante, quæ tu imperitè & malitiosè omnibus Catholicis obijcis; quasi doceant sacerdotem corpus & sanguinem Domini in sacrificio Missæ conficientem, Christum Dominum creatorem suum propriè creare. Quod illis nunquam venit in mentem dicere. Norunt Catholici, & scriptis libris cum D. Thoma Angelico Doctore profitentur, conuersionem panis in corpus Christi, non esse propriè creationem, sed ab illa differre; tùm quia in conuersione Eucharistica; vnus terminus transit in alium, scilicet panis in Christi corpus, quod non accidit in creatione, in qua NON ENS non

3. p. q. 75. a. 8.

transit

transit nec conuertitur in ENS: tum quia in eadem conuersione, manet aliquid idem commune vtriq; termino mutationis, scilicet pani & corpori Christi; remanent enim eadem accidentia, quod in creatione locum non habet. Si ergo negant Catholici conuersionem Sacramentalem esse propriam creationem, quomodo dicerent Sacerdotem ministrum conuersionis Sacramentalis esse Creatoris sui creatorem? Cæterùm scire debes, sine vlla inuidia veteres Patres, vocabulo creandi in hac materia vsos esse, propter aliquam conuersionis Sacramentalis cum creatione propriè dicta similitudinem. Audi Cyprianum de Christo loquentem: *Qui vsq; hodie verissimum & Sanctissimum corpus suū creat.* Audi & veterem auctorem Adelmanum: *Christus,* inquit, *per Sacerdotes corpus & sanguinem suum creat.* Adhæc Bessarionem Cardinalem: *Tota,* inquit, *Trinitas hoc corpus altaris creat.* Qua fortè ratione motus author libelli Lauacrum conscientiæ appellati, Sacerdotes Christi Creatoris sui vocare creatores ausus est; quæ appellatio, etsi à Catholicis non vsurpetur, ab errore tamen & nouitate, ea qua dixi ratione meritò vindicari potest.

Cyprian. serm. de Cœna Domini. In epist. ad Berengar. li: de verb. Consecrat.

Sed perge porrò, Pacate. *Quis dixit Deum se gestare trinnum.* Hanc phrasim à Catholico aliquo doctore vsurpari non memini me vnquam legere. Legi tamen Sacerdotes Eucharistiam portantes, Dei gerulos à Patribus veteribus appellatos. Ex quorum numero Nazianzenus ait: *O Sacerdotes incruenta sacrificia mittentes: O illustres animarum custodes: O Magni Dei figmentum in manibus vestris gestantes, Christiferi, & immortalis vitæ doctores.* Quin etiam legi eandem appellationem alijs quoq; fidelibus Eucharistiam percipientibus tributam. Cyrillus ait: *Omnes* χριςοφόρȣς, i. *Christum ferentes effici; cùm eius corpus & sanguinem in membra sua recipiunt.* Cypr: quoque: *Christi baiulus,* inquit, *ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente.* Hinc ortum habuit vetus illa Catholicorum Polonorum nomenclatura, qua Sacerdotem *Piástun Boży* vocabant: cuius si meminisses, Pacate, suspecta tibi fuisset

In carmine ad Episcopos. Sacerdotes Dei geruli. Catech: Mystag. 4. In serm: de Cœna Domini.

tur tam multa nouitia dogmata à Christi doctrina alienissima inueneritis, rectè Mœcenatis consilium Augusto datũ contra vos est ab Auctore allegatum.

Verè canitur de Sacramento Eucharistiæ, Non est panis sed est Deus.

1. Cor. 11.

Sed tu nobis vicissim obijcis noua dogmata, quæ numina appellas à nobis introducta. *Quis Apostolorum*, ais, *aut Apostolicorum virorum, de pane cœnæ Dominicæ ita cecinit: Non est panis sed est Deus?* Hussus quidem huius cantici author dicitur, non Catholicorum quispiam; sed tamen hæc verba Catholica sunt, ex Apostolo petita; qui manducantes indignè, ait, iudicium sibi manducare, *eò quòd non diiudicent corpus Domini.* En Apostolus panem Eucharisticum, corpus Domini vocat. Si ergo verum est, corpus Domini nõ esse panem triticeum, verum quoq; est panem Eucharisticum qui est corpus Domini, non esse panem triticeum, qualem vos in Symposijs vestris Euangelicis proponitis. Quod si demonstrato Christi corpore in sepulchro posito verissimè dici poterat; Hîc iacet conditus Deus: non minùs verè dici potest, & debet, demonstrato Christi corpore in Eucharistia, Hîc est Deus. Rectè ergo cecinit, quisquis cecinit, de pane Eucharistico in substantiam Christi conuerso; *Non est panis*, intellige triticeus, *sed est Deus.*

Non est Catholicorum sentẽtia, Sacerdotem esse Creatorẽ sui Creatoris.

3. p. q. 75. a. 8.

Perge vltra, & noua alia, si quæ habes, dogmata Catholicis obijce. *Quis scripsit*, ais, *creatorẽ se esse sui creatoris?* Dicuntur ista verba reperiri in libro dicto, Lauacrum conscientiæ, de sacerdote sacrosanctam Eucharistiam consecrante, quæ tu imperitè & malitiosè omnibus Catholicis obijcis; quasi doceant sacerdotem corpus & sanguinem Domini in sacrificio Missæ conficientem, Christum Dominum creatorem suum propriè creare. Quod illis nunquam venit in mentem dicere. Norunt Catholici, & scriptis libris cum D. Thoma Angelico Doctore profitentur, conuersionem panis in corpus Christi, non esse propriè creationem, sed ab illa differre; tùm quia in conuersione Eucharistica, vnus terminus transit in alium, scilicet panis in Christi corpus, quod non accidit in creatione, in qua NON ENS non

transit

transit nec conuertitur in Ens: tum quia in eadem conuersione, manet aliquid idem commune vtriq; termino mutationis, scilicet pani & corpori Christi; remanent enim eadem accidentia, quod in creatione locum non habet. Si ergo negant Catholici conuersionem Sacramentalem esse propriam creationem, quomodo dicerent Sacerdotem ministrum conuersionis Sacramentalis esse Creatoris sui creatorem? Cæterùm scire debes, sine vlla inuidia veteres Patres, vocabulo creandi in hac materia vsos esse, propter aliquam conuersionis Sacramentalis cum creatione propriè dicta similitudinem. Audi Cyprianum de Christo loquentem: *Qui vsq; hodie verissimum & Sanctissimum corpus suu creat.* Audi & veterem auctorem Adelmanum: *Christus,* inquit, *per Sacerdotes corpus & sanguinem suum creat.* Adhæc Bessarionem Cardinalem: *Tota,* inquit, *Trinitas hoc corpus altaris creat.* Qua fortè ratione motus author libelli Lauacrum conscientiæ appellati, Sacerdotes Christi Creatoris sui vocare creatores ausus est; quæ appellatio, etsi à Catholicis non vsurpetur, ab errore tamen & nouitate, ea qua dixi ratione meritò vindicari potest.

Cyprian. serm. de Cœna Domini.

In epist. ad Berengar.

li: de verb. Consecrat.

Sed perge porrò, Pacate. *Quis dixit Deum se gestare trinnum.* Hanc phrasim à Catholico aliquo doctore vsurpari non memini me vnquam legere. Legi tamen Sacerdotes Eucharistiam portantes, Dei gerulos à Patribus veteribus appellatos. Ex quorum numero Nazianzenus ait: *O Sacerdotes incruenta sacrificia mittentes: O illustres animarum custodes: O Magni Dei figmentum in manibus vestris gestantes, Christiferi, & immortalis vitæ doctores.* Quin etiam legi eandem appellationem alijs quoq; fidelibus Eucharistiam percipientibus tributam. Cyrillus ait: *Omnes* χριστοφόρους, i. *Christum ferentes effici; cùm eius corpus & sanguinem in membra sua recipiunt.* Cypr: quoque: *Christi baiulus,* inquit, *ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente.* Hinc ortum habuit vetus illa Catholicorum Polonorum nomenclatura, qua Sacerdotem *Piastun Bozy* vocabant: cuius si meminisses, Pacate, suspecta tibi fuisset

In carmine ad Episcopos.

Sacerdotes Dei geruli.

Catech: Mystag. 4.

In serm: de Cœna Domini.

Euangelij tui nouitas, de quo maiores nostri iam inde à Christianismo recepto, ad hæc vsq; infelicissima tempora, ne per somnium quidem cogitârunt.

Euangelici Ministri docent Catholicos Reges posse à suis subditis occidi.

Sed habesné aliquid præterea quod nobis obijcias? *Quis, ais, subdito Principem hæreticum occidere licere docuit?* Nemo, Pacate, Catholicorum docuit, licere subdito Principē suum hæreticum solam hæresis ob causam occidere. Sed Ministros tuos Euangelicos inuenio docentes, Catholicos Reges & Magistratus, si Euangelio Lutheri & Caluini resistant, posse à subditis in ordinem redigi, atq; adeò interimi. Audiamus Knoxum, præcipuum Euangelij Caluiniani in Scotia præconem, in libello, cui titulus; Appellatio ad nobilitatem, & populum Scoticum. *Illud,* inquit, *audacter affirmauerim, debuisse Nobiles, Rectores, Iudices, populumq; Anglicanum, non modò resistere & repugnare Mariæ illi Iezabeli, quam vocant Reginam suam, verùm etiam de ea, & Sacerdotibus eius, & alijs omnibus, quotquot ei auxilium tulerunt, mortis supplicium sumere, vt primùm cœperunt apertè Christi Euangelium supprimere.* Satisné planè iste Apostolus Scoticus loqui videtur, & Euangelicos suos in Principes Euangelium ipsorum supprimentes armare? Certè nullus Catholicus scriptor tale quid de vllo Principe hæretico pronunciauit, & in scripta retulit. Et tamen Knoxus, vt auctor Euangelij Christi in Scotia honoratur, nec quisquam contra vel tenuiter mussat. Quod si Catholici Doctores tale quid scriberent, fractus illaberetur orbis, & omnia clamoribus personarent, edictaq; contra tam perniciosam doctrinam dictarentur. Pergit idem Knoxus: *Neq; promissum, neq; iuramentum obligare potest populum Christianum, vt obediat tyrannis, contra Deum, & manifestam eius veritatem.* Vbi per populum Christianum, Caluinistas; per tyrannos, Principes Catholicos; per manifestam Dei veritatem, Euangelium Caluinisticum intelligit. & ita Scoticus iste Papa subditos Regum Catholicorum ab iuramento fidelitatis absoluit. Si Catholici dicant Pontificem pro fide Catholica conseruanda id posse, seditiosi nominantur: quā-

do Knoxus hoc pro Caluinismi propagatione publicis scriptis docet, tum bonum factum facit, tum purum purũ Dei verbum loquitur. Audiamus Knoxi Symmystam Goodmannum, quid in libro qui inscribitur; Quando superioribus magistratibus obediendum sit, edicat: *Si,* inquit, *Magistratus omnes despicere velint iustitiam & leges Dei; vestrum est, ô populares, contra Magistratus, aliosq; omnes eas defendere, & conseruare, quanta maxima vi & contentione potestis. Hoc enim Deus à vobis postulat,* Exod: 17. *Toti populo hoc incumbit, vt animaduertat in Idololatrã quęcunque; nemo excipitur, siue Rex, siue Regina, siue Imperator.* Et paulò post: *Factum illud,* quod memoratur Num: 25. *perpetuum est exemplum in omnem æternitatem, & certa denunciatio populo, vt in simili defectione à cultu Dei, Rectores suos, qui à Deo ipsos abducunt, ad furcas abripiant & suspendant, & tum Deus ipse gladium in manus populi tradit, & Deus ipse efficitur immediatè eorum caput, eosq; defendet & benedicet.* Quandonam è Catholicorum schola, talia in Reges hæreticos decreta profluxerũt? Si placet quoque, audiatur Zuinglius, qui in explanatione articulorum suorum art: 41. breuiter & perspicuè sensum suum nobis aperit. *Quando Rex, Princeps, Magistratus, perfidè & extra regulam Christi egerint, possunt cum Deo deponi.* Quando autem extra regulam Christi agant, ibidem explanat: *Cùm,* inquit, *inutiles ventres, otiosos sacrificos defendunt;* hoc est, cùm Sacerdotes & Monachos retinent, neq; in eorum locum vxorios Zuinglianos Ministros substituunt. Quid verò Caluinus? Et ipse non minùs seuerè philosophatur: *Abdicant se potestate terreni Principes, dum insurgunt contra Deum; imò indigni sunt, qui censeantur in hominum numero. Potiùs ergo conspuere oportet in illorum capita, quàm illis parere, vbi sic proteruiunt.* Multa alia huiusmodi in libris tuorum Euangelicorũ reperiuntur, quæ ne longior sim prætereo. *In cap. 6. Daniel.*

Quid habes præterea Pacate? Remittis lectorem ad aphorismos Iesuiticos. Et ego te remitto ad aphorismos Caluinisticos, à R. P. Martino Becano Societatis IESV editos, & libello breui comprehensos. Lege: in eo veluti speculo Euan-

culo Euangelium tuum expressum intueberis. Tandem ex aliis regionibus redit Pacatus noster in Poloniam, & ait: *De Regum Poloniæ iudiciis super hac re hac pauca habe. Non sumus nos hæretici, nec tales qui ob diuersitatem cultus, diuersis à Regibus, ciuibusq; & Regno nostro animis fuerimus: nec seditiones vllæ, cædes, bonorum direptiones perturbatioué vlla à nobis in inclyto hoc regno excitata est. Aliud si asseris proba.* Non est in quæstione, An Euangelici fateamini vos esse hæreticos; hoc enim scio clarè & rotundè pernegatis: sed alia duo in quæstione sunt; Primùm; An vos, Reges Poloniæ pro hæreticis habuerint. Et quidem pars affirmans huius quæstionis ita mihi certa & clara videtur; vt sine magna impudentia negari non possit. Wladislaus Iagello multò antequam nati essetis, hæresis vos condemnauit hoc ipso, quòd Hussitas, quorum cōplures errores complexi estis, hæreticos iudicauit. Legatur illius sanctio edita Wielunij, in qua habentur hæc: *Quicunq; in Regno Poloniæ nostro, & terris nobis subiectis hæreticus, aut hæresi infectus, vel suspectus de eadem, fautor eorum, vel director repertus fuerit, per nostros Capitaneos, Consules ciuitatum, & alios officiales ac quoslibet subditos nostros, siue in officiis, siue extra viuentes velut Regiæ Maiestatis offensor capiatur, & iuxta exigentiam sui excessus puniatur.* Ac mox grauissimas pœnas subiungit in eos Regno Poloniæ subiectos, qui ad tempus præscriptum ex Boëmia non redirent. In Boëmia verò cōstat tunc viguisse, & regnum grauissimè perturbasse Hussitas hæreticos, parentes vestros, quibuscum vobis multæ hæreses sunt cōmunes, præcipuè verò istæ: Præceptū esse omnibus à Christo vtriusque speciei vsum; Petrum non fuisse caput vniuersæ Ecclesiæ: Papalem dignitatem à Cæsare ortum habuisse: Non oportere esse vnū caput in spiritualibus regēs Ecclesiam: Censuras Ecclesiasticas Prælatorum Ecclesiæ, procedere ab Antichristo. & similes. Iam verò Sigismundus r. Iagellonis insistens vestigiis, plurima quoque & sapientissimè & sanctissimè in eandem sententiam decreuit. Nam Torunij legem sanciuit, in qua vetuit libros Martini

Euangelici iudicati hæretici à Regibus Poloniæ.

A Iagellone Anno 1434.

A Sigismūdo primo. Anno 1520.

Lutheri in regnum, & dominia sua inferri, vendi, aut illis vti, sub pœnis confiscationis bonorum atque exilij, eò quòd ex huiusmodi libris errores aliqui tunc in Regno pullulâ-rint. Et Cracouiæ haud dissimiliter: *Nos*, inquit, *pro officio Christiani Principis, eam ipsam religionem à SS. Patribus ordinatam, ac per Sanctam Ecclesiam Romanam directam, nobisq; à maioribus nostris per manus traditam, ac per nos quoq;, & gentes nostras, multo sanguine, & clarissimis gratia Dei victorijs hactenus defensam, à labe hæretica his temporibus in vicinia emergente, integram ac immaculatā in regno, ac dominijs nostris conseruare volentes, publicis edictis mandauimus, ne qui dogma ipsum pestiferum, ac iam pridem damnatum, approbare, profiteri, vel tueri auderet, sub pœna capitis, & confiscationis bonorum omnium, &c.* Anno 1523. Eiusdem quoq; edictum extat cō-tra religionis innouatores grauissimum & seuerissimum: Anno 1534. *Audiuius*, inquit, *permultos esse in regno nostro factiosos, & nouandarum rerum cupidos homines, qui sectas ab Orthodoxis Patribus, in vniuersalibus concilijs reprobatas, non in occulto saltem sectantur, sed & publicè profitentur, & disseminant, non sine contemptu piarum sanctionum, à sancta Catholica Ecclesia institutarum, & receptarum, atq; edictorum nostrorum. Esse item non paucos, qui liberos, propinquos, & affines suos, Wittebergam mittunt, vt illic mox ab ineunte ætate, priusquam nouerint malum à bono discernere, pestifera dogmata ab ipso Luthero qui horum malorum caput est imbibant, & postea in regno nostro diffundant, & propagent. Quæ res quàm feliciter vicinis circumcirca regionibus ceciderit, nemini obscurū est. Videmus enim luce meridiana clariùs, quantæ seditiones, quantæ cædes, bonorum direptiones, & quanta rerum omnium perturbatio, quanta pietatis ruina, quanta deniq; honestatis euersio ex his initijs excitata sit. Quod ne nobis quoq;, & subditis nostris vnquam vsu veniret, cauimus aliquoties edictis nostris, grauibus pœnis in transgressores constitutis.* A Sigismū-do Augusto. Quin & Sigismundus Augustus optimum, ac Sanctissimum parentem imitatus, complura contra hæreticos edicta composuit, inter quæ illud quod Wilnæ edidit, cuius illud est exordium: Vilnæ Anno 1556. 1. Mar. *Perfertur ad nos Picardorum, Boëmorum, Anabaptistarum, Sacramentariorum, Lutheranorum, & aliorum hæreticorum praua*

dogmata palàm prædicari. Et alterum huic persimile, quod anno insequenti Warsauiæ omnium Ordinum consensu scripsit; cui & literas ad Capitaneos, ac Ciuitates adiunxit, quibus mandata sua contra hæreticos vti exequerentur, præcepit. Habes igitur, Pacate, Regum Poloniæ grauissima iudicia, quibus Euangelici tui, hæretici pronũciantur. Quare quantumuis repetas, & ingemines illud; *NON SVMVS NOS HÆRETICI:* à nobis tamen audietis semper hæretici, vtpote non solùm Catholicæ Ecclesiæ, sed etiam domestico Regum & Ordinum Regni nostri iudicio, hæresis legitimè condemnati.

Reges Poloniæ iudicarunt varietatem religionum esse matrẽ dissẽsionum.

Alterũ, quod versatur in quæstione est; An Reges Poloniæ iudicarint diuersarum religionũ in vno Regno permistionem, esse matrem & nutricem dissensionum, & seditionum. Quæ propria est quæstio huius instituti: cuius affirmantẽ partẽ, author PACIS NON PACIS probauit, authoritate duorum maximorum Poloniæ Regum. Inprimis Iagellonis, qui in quodam edicto contra hæreticos edito, dicit: *Diuersitatem cultus, diuersitatem inducere animorum.* Deinde Sigismundi primi, qui in suo item edicto pronunciauit, ex hæresi Lutherana seditiones, cædes, bonorum direptiones, & rerum omnium perturbationem esse excitatam. Ad hæc tu, ne verbum quidem. Negare siquidem non poteras, hoc fuisse regum illorum de diuersitate religionum iudicium; cui nos quoque acquiescere par est, potiùs quàm vt leuissimas tuas ratiunculas, vel captiones veriùs ad aures, vel ad animum admittamus.

Iagello Wieluni A. 1424.

Sigismundus I. Anno 1534.

Sed, ais, *nullas seditiones nullamuè perturbationem à vobis in hoc inclyto Regno esse excitatam.* Possem contrarium ostendere. Sed Euangelicis tuis parco, quorum famæ consulendum puto. Illud nõ reticebo; occasione disparis religionis, graues tumultus in præcipuis Regni huius vrbibus sæpius esse excitatos; & in ijs nonnullos cæsos, multitudine furiosa & præcipiti ad arma concurrente. Quod nec tu ipse negabis; & quamuis negares, nihil aliud faceres, quàm insignis impudentiæ

In Polonia excitati tumultus occasione diuersitatis religionis.

pudentiæ tuæ testes publico præconio colligeres. Quod si excipias, eiusmodi tumultus non à vobis ortos; nihil agis, Pacate: satis est ab hominibus in diuersa studia, ob diuersitatem cultus, & fidei distractis esse ortos & excitatos. Id abunde facit ad authoris institutum, qui nihil aliud volebat ostendere, nisi cum diuersitate religionum, non solere, nec posse pacem politicam consistere. ad quod propositum parum interest, vtra pars ex dissidentibus in religione, tumultuari & pacem publicam perturbare incipiat. Quod vellem bene Catholici nostri intelligerẽt, quibus vel hac præcipuè ratione Euangelici fucum facere conantur, vt eos ad consensum Confœderationis pelliciãt, quòd se alienos à turbis, tumultibus, & seditionibus esse dicãt. Non enim hoc duntaxat considerandum est ijs, qui publicæ paci & tranquillitati optimè consultum volunt, quænam ex diuersis religionibus ad turbas & nouarum rerum studia sit propensior; quamuis & hoc meritò præ oculis habendum est: sed an fieri possit, vt Repub. in diuersas religiones distractâ, pax & tranquillitas conseruetur, & tumultus ac seditiones euitentur. Quod sanè fieri non posse, multis iam est demonstratũ. *Notent Catholici.*

Sed expecto quid Pacatus ad exemplum Authoris de Iudæorum Regibus respondeat. *Iudæorum Reges, & Principes, nullam cum aliis nationibus firmam & constantem amicitiam coluisse*, ais. *Dum Iudæi adhuc verus Dei essent populus, in ipsisné huius rei culpa resedit? Non puto. Nec Iosua Gabaonitarum fœdus fregit, nec Sauli fœdifrago hoc impune fuit, nec (vt alios nunc omittam) Machabæi aliorum populorum amicitiam respuerunt, sed Spartanorum, ac Romanorum vltrò expetierunt, quantumq́ in ipsis fuit sanctè coluerunt: tantisperq́ Iudæi cum aliis in pace vixerunt, quamdiu per malos & impios vicinos licuit.* Videris mihi esse ex illorum numero, Pacate, de quibus loquitur Apostolus, qui *non intelligunt, neq́ quæ loquuntur; neq́ de quibus affirmant.* Quid tibi contra authorẽ Pacis Non Pacis scribenti, cũ fœderibus merè politicis? nonné de solo fœdere in negotio religionis tibi cum illo quæstio est? cur vel imperitè, vel malitiosè misces *1. Tim: 1.*

ſacra prophanis? Intellige itaque, quod non capis, vel non capere te fingis; Iudæos cùm adhuc verus eſſent Dei populus, pacem religionis cum Ethnicis minimè coluiſſe; non vlla ſua culpa (virtutis enim hoc potiùs erat, ſicut contrarium in magno eſt vitio) ſed Deo ita præcipiente; qui populum ſuum nullam cum Ethnicis in religione pacem colere, nec ſuperſtitiones gentilitias in ſuo regno voluit tolerare; cap: 2. quod ſuperiùs teſtimonijs Scripturæ adductis demõſtraui. Hinc autem fiebat, vt ex religionis diuerſitate crebra inter In lib: con: Iudæos & Ethnicos bella exiſterent: Quod rectè Ioſephi te- Apionem. ſtimonio Author comprobauit. Tu verò quid? *Ioſephi ſententia à te allegata, non video qua vlteriore reſponſione indigeat.* Ita eſt, non vides, nec ſi maximè oculos aperias, quid ſis reſponſurus videbis.

Deniq; concludis hanc reſponſionem tuam, quæ reſponſionis nomine digna non eſt, ſed potiùs tergiuerſationis, & euaſionis. *Concludo*, inquis: *Ex varietate opinionum de religione, non neceſſariò, nec ſemper gignuntur diſſenſiones animorum.* Ergo fateris interdum gigni. Atqui hoc ipſum ſatis eſt, ne quis pacis Reipub. amans, Confœderationi religionis ſubſcribat; memor ex varietate opinionum de religione ſæpius, etſi non ſemper, gigni diſſenſiones animorum. Nam quòd non neceſſariò gignantur, id non huiuſmodi varietati, ſed aliis impedimentis tribuendum eſt; cùm varietas religionum, ex natura ſua ad animos in mutua ciuium odia concitandos ex ſe, & natura ſua ſit accommodata: quæ nihilominus odia multis obſtaculis obiectis apertas ſeditiones ſæpe non poſſunt concitare. Sed præterire non poſſum illud tuum diſtichon, quod argumenti loco affers:

Diuerſum ſentire duos de rebus iiſdem
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Ergo, ais, *poſſunt homines religionibus inter ſe diſſidentes, firma & vera pace coniungi: & quia poſſunt, Deiq; mandatum id à Chriſtianis exigit, quantum fieri poteſt, cum omnibus in pace qui Chriſtiani dici volunt degere debent.* Oppono diſticho tuo veterem, & celebrem pa-

brem parœmiam: AMICVS VSQVE AD ARAS. Ex qua ſic concludo. Vbi ad aras ventum eſt, neceſſe eſt veterem amicitiam diſiungi; ergo multò minùs, ſi de aris agitur, amicitiam nouam licet contrahere: ſed quando agitur de confœderatione cum hæreticis in religionis negotio facienda, res ad aras venit; ergo talis amicitia non eſt cum illis contrahenda. quinetiam ſi fors aliqua fuit alio nomine antè contracta, eſt diſſoluenda. Quod adeò verum eſt, vt quando de aris, id eſt de fide & religione in Deum agitur, quæuis etiam arctiſſima ſanguinis neceſſitudo ſit pietati, & religioni poſthabenda. Qua de re extat apertiſſimum Dei mandatum in Deuter: *Si tibi voluerit perſuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, ſiue vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clàm dicens: Eamus & ſeruiamus Diis alienis, quos ignoras tu & patres tui; non acquieſcas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miſerearis, & occultes eum, ſed ſtatim interficies. &c.* Vides, Pacate, vt authore Deo non liceat in religione diuerſum ſentire duobus incolumi amicitia, quin protinus eam diſſolui, & ſanguinis etiam, atque adeò thori iura negligi ſit neceſſe. *Sed mandatum Dei,* inquis, *exigit, vt qui Chriſtiani dici volunt, cum omnibus in pace degant.* Mirum ni à te negetur fuiſſe Chriſtianus D. Ioannes Apoſtolus, qui hæreticis nec Aue à quoquam dici, nec ipſe eodem cum Cherinto hæretico balneo lauari voluit. Credo etiam te expuncturum ex numero Chriſtianorum S. Polycarpum virum Apoſtolicum. qui cùm Marcionem hæreſiarcham ſibi obuium haberet, & ab eo num ipſum cognoſceret rogaretur; his eum verbis perſtrinxit: *Cognoſco te primogenitum diaboli.* Sed neque Chriſtianorum loco te habiturum exiſtimo Samoſatenſes illos pueros. qui Epiſcopum ſuum Arianum ita vitabant, vt luſoriam pilam, quæ eius equi fors tranſeuntis pedẽ tetigerat, in publico foro accenſo igne conſumpſerint. Quinetiam violati præcepti Chriſti accuſabis S. Antonium Eremitam, quem proditum eſt memoriæ ab hæreticorum hominum congreſſu & colloquio

Amicitia hominum vſq; ad aras

Deut: 13. v. 6.

Poſt habenda quæuis neceſſitudo Religioni.

Epiph: hæreſi 30.

Exẽpla eorũ qui hæreticorum conſuetudinem ſunt auerſati.

Theodoret. li: 4. hiſt. ca. 14.

S. Athanas. in vita Antõ.

sic abhorruisse, vt ne prope quidem ad eos accedendum putârit. Denique quo animo sis laturus, vel quo loco habiturus Honorium Imperatorem, nescio. qui ex aula sua hæreticos omnes tali rescripto exegit: *Eos, qui Catholicæ sectæ sunt inimici, intra palatium militare prohibemus. Nullus nobis sit aliqua ratione coniunctus, qui à nobis fide, & religione discordat.* Quod si hos fuisse Christianos, & Christi præcepti memores nemo nisi Pacato similis negauerit; facilè intelligitur, nullum extare Christi mandatum de iungenda cum hæreticis Christi & Ecclesiæ eius hostibus amicitia eiusmodi, ex qua ipsi animos ad sua peruersa dogmata stabilienda & confirmanda maiores sumant: qualem esse Confœderationis amicitiam nemo non videt. Ex dictis verò iam constat, manere integram, & in suo robore Authoris rationem secundam, qua pacem Confœderationis non esse pacem demõstrauit.

Honorius Imp: hæreticos aula exegit.

Baron. Anno D. 408. n. 16.

CAPVT XI.

Responsio Pacati ad tertiam Authoris rationem discutitur: & Euangelicos hæreticos esse demonstratur.

TERtiam rationem author PACIS NON PACIS talem fecerat. *Impunitas scelerum nullo modo est pacis nomine appellanda, aut vera pax censenda: Sed pax Confœderationis est impunitas scelerum. Ergo. Minorem author ostendit, quòd Confœderatio quatuor grauissimorum criminum impunitatem velit perpetua lege stabiliri; hæreseos, blasphemiæ, sacrilegij, & alienorum vsurpationis.* Ad hanc rationem responsurus Pacatus, sic Authorem alloquitur: *Grandem nobis dicam scribis. Sed dicam. Falsò nobis ista crimina attribuis, nec veritati hîc litas. De Hæresi ostendo. Quia hæresis est dogma peruersum, & contrarium fidei Catholicæ, quo quis præfractè aut Deum negat, vel attributa eius, ac opera. Deum cùm dico, vnum illum essentia, trinum personis intelligo. Attributa eius, siue opera, puto creationem, & recreationem, id est, redemptionem & sanctificationem. At nos nec Deum, nec attributa eius negamus, quæ*

quidem ſacræ ei literæ attribuunt, quæq; capitibus Catholicæ & indubitatæ omnium Chriſtianorum fidei, ſiue Symbolo Apoſtolico breuiter comprehenſa ſunt: Hæretici igitur non ſumus: & per conſequens pœnis in hæreticos cõſtitutis non ſubiacemus; multò minùs impunitatem iſtius ſceleris quærere dici poſſumus. Quid Confœderatio velit ex noſtra parte, in reſponſo ad tuam primam rationem dixi. neq; eadem nũc repetere volo. Verè grandis tibi, & tuis dicta eſt dicta, Pacate; & quidem dicam vera, à qua vos nec Minos, nec Rhadamãtus abſoluerit. Vis ergo vt probem te & tuos, quicunq; pertinaciter erroribus à fide Catholica Romana alienis adhæretis, eſſe veriſſimos hæreticos? Subibo non grauatè hunc laborem, vt te tuoſque, turpitudine, & infamia hæretici nominis ad ſaniorem mentem reuocem.

Probationi porrò meæ duo ſuppono certiſſima fundamenta. Primum eſt, Eccleſiam Catholicam illam ſemper eſſe ab omnibus iudicatam, quæ eſſet omnium hominũ, locorum, & temporum. Hæc enim omnia Catholicum hoc vocabulum in ſua ſignificatione complectitur, vt rectè notauit vetuſtiſſimus ſcriptor Vincentius Lyrenenſis. *In Eccleſia,* inquit, *Catholica id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc enim eſt verè proprieq; Catholicũ, quod ipſa vis nominis, ratioq; declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit.* Similiter Auguſtinus: *Catholica,* inquit, *Eccleſia appellatur eò, quòd per totum terrarum orbem diffunditur.* Et iterum: *Catholica totum tenet.* Et rurſum: *καθόλου Græcè, ſecundũ totum Latinè dicitur, vnde Catholica nomen accepit.* Deinde ex ſcripturæ verbis hanc eſſe vim eius vocis oſtendit. *Dicente,* inquit, *ipſo Domino; Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & Samaria, & tota Iudæa, & vſq; ad vltimum terræ, planè indicauit, vnde Catholica vocatur,* Cùm verò aliunde dictam Catholicam Eccleſiam calumniarentur Donatiſtæ hæretici, ſcilicet ex plenitudine Sacramentorum, non ex totius orbis communione, reſpondit Auguſt. *Licet poſſet eum ſenſum vox Catholica habere, vt vniuerſalitatem notet ipſius veritatis, quam ſola Catholica totam & integram tenet; tamen ex ipſius Dei promiſſis, & multis manifeſtisq;*

Catholica Eccleſia illa eſt, quæ eſt omniũ hominum, locorum, & temporum.

In lib: de prophanis nouitatibus.

Enarrat in Pſal. 65. & epiſt. 170.

Epiſt. 48. ad Vincentium.

oraculis Catholicam illam dici, & demonstrari, quæ sit Ecclesia omnium gentium. Hæc ille. quibus cōsentanea docet Venerab. Beda, & alij Patres. Rursum quia Ecclesia perpetua est, & omnium temporum, idcirco Catholicam esse dictam explicat August. *Sequere*, inquit, *viam Catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos, ad nos vsq; manauit, & abhinc ad posteros manatura est.* Catholicam disciplinam vocat, quæ omnia tempora complectitur, & maiorum nostrorum & posteriorum. Proinde ex eiusdem sensu Catholica Ecclesia illa dicitur, quæ similiter omnia tempora, tam priora quàm posteriora complectitur.

Beda in Cant: c. 6.

De vtilit. credendi cap: 18.

Alterum fundamentum est. Eos cœtus hominum pro hæreticis semper esse habitos, quicunque se à Catholicæ Ecclesiæ, omnes homines, omnia loca, & omnia tempora sua complexu continentis, communione segregârunt. Hac ratione Tertul. Marcionitas, & Valentinianos hæreticos esse demonstrauit. Nam, quia videbat in concertatione cum hæreticis ex ipsarum scripturarum examine, aut nullam, aut incertam esse victoriam: *quærendum ante omnia*, inquit, *quibus competat fides ipsa, & cuius sunt scripturæ.* id est, qui & penes quos sit Ecclesia. Quod vt ostendat, narrat de Apostolorum prima prædicatione: *Illi*, inquit, *Ecclesias apud vnamquamq; ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ, ceteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur; vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc ipsæ Ecclesiæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum.* Ecce tibi propagationem, sobolem, & traducem Ecclesiæ perpetuam, & per quæq; loca veram Ecclesiæ Catholicæ formā. Addit paulò post, vt seipsum in Ecclesia Catholica esse ostendat. *Nos*, inquit, *communicamus cum Ecclesijs Apostolicis, quod nulla doctrina aduersa facit. Et hoc est testimonium veritatis.* vnde tam validum argumentum ad quosuis errores hæresis conuincendos sumi putat, vt mox addat: *tam expeditam hanc esse probationem, vt si statim proferatur, nihil iam sit amplius retractandum.* Eodem argumento in eodem libello premit hæreticos in hunc modum. *Quid verisimile*

In lib: de Præscriptiõn.

Hæretici habiti semper qui se à Catholica Ecclesia segregârunt.

verisimile est, vt tot & tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint? Scilicet aliquos Marcionitas, & Valentinianos liberanda veritas expectabat. Interea perperam euangelizabatur? tot millia millium perperam baptizata? tot opera fidei perperam ministrata? tot virtutes, tot charismata perperam operata? tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa? tot deniq; Martyria perperam & in vacuum? Hæc ille, nō integris ducentis annis post Christum elapsis. Argumenti autem eius vis hæc est. Impossibile esse, vt ij non sint hæretici, qui cum Ecclesia Catholica, per ducentos annos vbique locorū propagata, in fidei confessione non cōuenirent.

Nec aliter D. Hieron. contra nouos sui temporis Origenistas disputauit. *Cur*, inquit, *post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nesciuimus? vsq; ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit.* Similiter egit contra Luciferianos: *Poteram*, inquit, *omnes propositionum tuarum riuulos vno Ecclesiæ sole siccare, sed breuem tibi apertamq; animi mei sententiam proferam. In illa esse Ecclesia permanendum, quæ ab Apostolis fundata, vsq; ad hanc diem durat. Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christiani, non à Christo, sed ab alio quoquam nuncupari, puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, &c. scito non esse Ecclesiam Christi; sed Antichristi Synagogam. Ex hoc enim ipso quòd postea instituti sunt, eos se esse iudicant, quos Apostolus futuros esse prænunciauit.* *In epist: ad Pammach. & Oceanū de erroribus Origen: tom: 2. In fine dial. aduers. Lucifer.*

Ad eundem modum D. Athanasius, cæteriq; Episcopi Ægypti, Thebaidis, & Lybiæ in vnum congregati, ad Imperatorem Iouinianum pro Nicœnæ fidei defensione scribentes, eumq; ad eam amplectendam hortantes, hoc potissimùm argumento Imperatorem inducebant. Nam, vt commemorat Theodoretus, in hūc modum scripserunt. *Dedimus operam necessariò, vt fides in Concilio Nicæno roborata tuæ pietati traderetur, quò ipse intelligas, quanto in errore versentur hi, qui fidem contrariam doceant. Nam pro certo scias velimus, Auguste sanctissime, hanc ipsam ab omni seculorum memoria prædicatam fuisse. Hanc confirmârunt SS. Patres Nicææ coacti: Huic omnes vbiq; Ecclesiæ assensæ sunt: vt Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ totius, Dal-* *Theod: lib: 4. hist: c. 3.*

matiæ, Mysiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ; & omnes Ecclesiæ Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Isauriæ; & Ecclesiæ Ægypti, Lybiæ, Ponti, Cappadociæ, & regionum finitimarum: Orientis deniq; Ecclesiæ, exceptis paucis, quæ fauent sectæ Arianæ. Nam istarum omnium re ipsa exploratè cognitam habemus sententiam, literasq; ab illis accepimus; proq; certo scimus, Auguste sanctissime, quòd quamuis pauci huic fidei contradicant, non tamen præiudicium inde potest orbi fieri vniuerso. Hæc ibi Athanasius, alijq; Episcopi, vt fidem suam Catholicam, & Arianam hæreticam esse persuaderent. Demonstrârunt videlicet suam esse perpetuam, atq; omnium temporum, vniuersalem, atq; omnium locorum: Arianam verò his notis Catholicæ esse destitutam.

Epist: 2. ad Cledonium.

Similiter argumentatus est contra temporis sui Arianos Gregor: Nazianz: *Si,* inquit, *ante hos trecentos annos fides incœpit, cùm quadringenti ferè sunt anni ex quo manifestatus est Christus, certè & Euangelium nostrum in tanto tempore fuit inane, inanis & fides nostra, & si qui testimonium præbuerunt, frustra sunt testificati, frustra præsules tot & tanti populo præfuêre.* Eiusdem generis argumento vsus est Hilarius: *Cogitemus,* inquit, *tot Sacerdotes sanctos etiam quiescentes. Quid de nobis Dominus iudicabit, si nunc anathematizentur à nobis? Quid de nobis erit, qui rem eò deducimus, vt quia illi Episcopi non fuerunt, nos simus? Ordinati enim ab his sumus, & eorum sumus Sacerdotes.* At certè inualida fuissent hæc doctissimorum Patrum contra hæreticos argumenta, nisi quæ perpetua fuisset in Ecclesia fides, ea meritò Catholicæ nomen sibi vendicaret; quæ verò hac perpetuitatis nota careret, hæreseos loco esset ducenda. Imò maximam in hoc genere eiusmodi contra hæreticos argumentationis vim esse Irenæi contra Valentinianos disputatio demonstrat. Primum enim in inquisitione veritatis, iubet ab Ecclesia illam petere. *Etenim,* inquit, *si recondita aliqua mysteria sciuissent Apostoli, quæ seorsim & latenter ab reliquis perfectos docebât,* (hoc enim excipiebât hæretici) *his vel maximè traderēt ea, quibus ipsas Ecclesias committebant. Ab illis ergo petendam veritatem.*

In li: de synodis aduers. Arianos.

Fides quæ perpetua, Catholica: quæ noua, hæretica.

lib: 3. aduers. Hæres. ca. 3.

Porrò

Porrò illas Ecclesias vt quisq; inueniat, ad Episcoporum successionem iubet recurrere. *Hac enim,* inquit, *ordinatione, & successione Episcoporum, ea, quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, ad nos vsq; peruenit; & est plenissima ostensio, vnam & eandem fidem esse, quæ ab Apostolis vsq; nunc sit confirmata.* Hæc ille. Vbi veram Catholicam doctrinam apud illam Ecclesiam esse docet, quæ successionis perpetuitatem iam inde ab Apostolis vsq; deductam retinet. Contrà verò à nouitate, & ex abrupta successionis istius serie, hæresim probat. Nam ostensurus Valentinianos, & Marcionitas hæreticos esse, ait: *Ante Valentinum non erant, qui sunt à Valentino; neq; ante Marcionem erant, qui sunt à Marcione.* Moxque tempora singulorum, quibus docere cœperant, ostendens, idemq; addens de Cerdone & Menandro, concludit. *Omnes hi multò posteriùs mediantibus iam Ecclesiæ temporibus insurrexerunt in suam apostasiam.* Eodem sanè Spiritus S. instinctu D. Cyprianus à nouitate & posteritate probauit, Nouatianos sui temporis fuisse hæreticos: *Constat,* inquit, *eos cum corpore Ecclesiæ non conuenire.* Hoc autem ita probat. *Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt. Et cùm hæreses, & schismata postmodum nata sint, dum conuenticula sibi aduersa constituunt, veritatis caput, atq; originem reliquerunt.* Nempe quia vera Ecclesia perpetua est, nec intercidit vnquam, profectò, quod nouum est, & posterius accessit, non ad Ecclesiam Catholicam, sed ad hæresim pertinere conuincitur.

Ibidem c. 4.

In lib: de vnitate Ecclesiæ.

Hoc etiam argumenti genere creberrimè vsus est D. August. nec aliunde hæreses euidentiùs describit. *Hæreses,* inquit, *omnes de Ecclesia Catholica exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua.* Sic & alibi; veram fidem & Ecclesiam Catholicam, quàm hæresim breui quasi paraphrasi describens, his verbis Pelagianos quosdã Afros alloquitur. *Videtis,* inquit, *multos præcisos à radice Christianæ societatis. Quæ quidem societas per sedes Apostolorum, & successiones Episcoporum, certa per orbem propagatione diffunditur: hos autem præcisos de sola figura originis, sub Christiano nomine, quasi arescentia*

Aug: de Symb. ad Catech. li: 1. ca. 5.

Epist: 42.

scentia

ſcentia ſarmenta gloriari, quas hæreſes & ſchiſmata nominamus. Et alibi diſputans contra Petilianum Donatiſtam. *Obijcio*, inquit, *tibi ſchiſmatis crimen, quod tu negabis, ego autem ſtatim probabo. Neq; enim communicas omnibus gentibus, & illis Eccleſijs Apoſtolico labore fundatis.*

lib: 2. con: Petil. c. 16.

His iactis duobus fundamentis, probationem ipſam aggredior, & cum D. Auguſt. obijcio tibi, Pacate, & tuis omnibus, qui præclaro Euangelicorum nomine cenſeri volunt: obijcio, inquam, hæreſis crimen, quòd vos negabitis, ego autem ſtatim probabo. Neque enim communicatis omnibus gentibus & Eccleſiis Apoſtolico labore fundatis, nominatim & præcipuè non communicatis Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ab Apoſtolo Petro fundatæ & proprio ipſius ſanguine purpuratæ. Sufficiebat hæc breuis probatio, Pacate, ſed eam in tui tuorumque gratiam latiùs diducam. Eſtis igitur hæretici eâ potiſſimùm de cauſa, quia ab Eccleſia Catholica, quæ omnium temporum, locorum, atque hominum hactenus fuit, vos ſeparaſtis; eaq; dogmata profitemini, quæ ſimul in vnum collecta, non fuerunt vnquam Catholica, quia non fuerunt omnium hominum, temporum, & locorum initio ab Apoſtolis vſque ducto.

Euangelici noſtri hæretici, quia non communicant cum Eccleſiâ Catholicâ omnium hominũ, locorum, & temporum.

Quod breuiter oſtendo poſitis ob oculos dogmatibus, quæ tanquam certiſſimas fidei veritates palàm profitemini vos qui Euangelici vocari vultis, cuiuſcunque tandem ſectæ ſitis. 1. Chriſtum non eſſe in Euchariſtia ante ſumptionem & vſum. 2. Eum in Sacramento Euchariſtiæ non eſſe adorandum. 3. Vnius ſpeciei ſumptione in Euchariſtia ſacrilegè violari Chriſti præceptum, & mutilari Sacramentum. 4. Sacrificium Miſſæ eſſe abominationem & idololatriam. 5. Non eſſe ſeptem, ſed tantùm duo aut tria Sacramenta. 6. Sacram ſcripturam, & quidem ijs duntaxat libris contẽtam, quos iam vos pro Canonicis agnoſcitis, eſſe vnicam normam omnis doctrinæ fidei; ac proinde nihil diuinâ fide credẽdũ, niſi quod expreſſè, atq; adeò in ſpecie in Sacra ſcriptura contineatur. 7. Romanum Pont. non eſſe caput

Dogmata quædam Euangelicorum, quæ nunquã fuerunt Catholica, nec in Eccleſiâ Dei per 1600. annos credita.

totius Ec-

totius Ecclesiæ, sed Antichristum. 8. Sanctorum inuocationem Catholicis consuetam esse idololatriam. 9. Sanctorum imaginum & reliquiarum cultum, esse similiter idololatriam. 10. Non est Purgatoriũ. 11. Indulgentias à Pontifice distribui solitas, esse inanes. 12. Non posse inter Ecclesiæ membra vnum alteri seu viuo, seu defuncto, quoad pœnæ temporalis remissionem, propria satisfactione prodesse. 13. Iustum suis operibus non mereri vitam æternam, quin potiùs opus hac intentione factum, esse Deo exosum. 14. Hominem sola fide iustificari. 15. Ieiunia Ecclesiastica conuellere licitum esse. 16. Vota & fidem monasticam esse superstitiosam. Mitto alia singulis inter vos sectis propria & peculiaria.

Hæc tu mihi, Pacate, ostende semper in Ecclesia his mille sexcẽtis & amplius annis iam inde à Christo & Apostolis ab omnibus qui Christiano gaudebant nomine credita, ede orthodoxorum Patrum, qui pro Catholicis omnium consensu sint habiti testimonia: profer volumina in quibus articulorum prædictorum fidem literis ad posteritatem mandârint, & Ecclesiæ veteris scripturarumq́ue authoritate firmârint: recita Concilia, siue particularia, siue œcumenica, quæ quidẽ legitima & ab omnibus Catholicis sine controuersia recepta fuerint; quæ dogmata illa numerata pro articulis fidei credenda decreuerint: recense dogmatũ illorum professores, qui vel miraculorum, vel sanctitatis gloria floruerunt, vel si quæ alia potes eius fidei monumenta Catholica ex omni antiquitatis memoria erue. Quod si id de tota præteritorum omnium temporum Ecclesia Catholica ostendere non potes; ostende saltem de insignioribus eius membris, quæ tamen Catholicæ fidei vnitatem retinuerint. Si neque hoc potes; ostende saltem ætatibus singulis aliquos (quanquam hoc alioqui ad fidei Catholicæ perpetuitatem tuendam per se nimis parum esset) qui eiusmodi vestra dogmata crediderint & professi fuerint. Quod si ne hoc quidem aut poteris aut velis; vnum saltem

ostende ex omni tot sæculorum & hominum numero, iam inde à Christo & Apostolis vsque ad ipsum Lutherum, qui saltem ad momentum temporis, quoad illa supra dicta omnia doctrinæ capita nobiscum senserit. Vide quàm tecum liberaliter, quàm non summo iure agam. Quod si nihil tale ostendere poteris, necessariò fateri debebis, fidem tuam capitibus illis comprehēsam non esse Catholicā: quippe quæ nec omnium temporum, nec omnium locorum, nec omnium hominum sit; imò quæ ante Lutherum nullo vnquam tempore extiterit, nec vllo loco ab vllo Catholico agnita fuerit. Reperies tu quidem, Pacate, si antiquitatis memoriam repetere volueris complures, qui nonnullos fidei vestræ articulos ex ijs quos enumeraui tenuerint: sed eos non fuisse Catholicos, vel inde constat, quia certis temporibus exorti, ab Ecclesiæ Catholicæ communione se remouerunt, & ab ea vnanimi consensu pro hæreticis sunt habiti. Sic Iconomachi circa annum Christi 719. exorti, sacris imaginibus & diuorum statuis, tanquam idolis quibusdam bellum indixerant, quorum vos spiritu afflati, manum ab ijsdem de templis exturbādis non cohibuistis. Sic Claudius Taurinensis sub annum Christi 816. docuit, non esse Sanctorum reliquias venerandas: Guilhelmus de S. Amore, circa annum Christi 1250. mendicantium ordines exosus, docuit illicitum esse omnia relinquere nisi cogatur, ac proinde ordinem mendicātium professos saluari non posse: Armeni circa annum 805. docuerūt Pontificem Romanum non esse caput Ecclesiæ: Matrimoniū non esse Sacramentum; nullum esse Purgatorium: Albingenses anno Christi 1176. senserunt, nihil esse credendum, nisi quod in scriptura sacra expresse contineretur. Similiter Græci, qui circa annum 1054. duce & antesignano Michaële Cerulario Patriarcha Constantinop: in apertam ab Ecclesia Latina defectionem, & variis circa fidem erroribus cumulatam eruperunt, asserebant Pont: Roman: non esse primatem & caput totius Ecclesiæ; dandam esse necessariò communionem lai-

Hæretici habiti, cum quibus Euāgelici habēt doctrinæ societatem.

nem laicis sub vtraque specie. Bogomili circa annum Christi 1118. tenuerunt, Sanctorum imagines non esse colendas, & qui id facerent, esse idololatras; sacrificiū Missæ abominandum esse. Petrus de Bruis circa annum Christi 1126. docuit sacrificia, orationes, eleemosynas, & alia viuorum pro defunctis suffragia, nihil eis prodesse. Waldenses circa annum Christi 1160. docuerunt, abstinentiam ciborum in Quadragesima aut alias non obligare: Imagines in Ecclesiis non esse ferendas: Confirmationem non esse Sacramētum: mendicantium religiones esse inuētum diaboli: nullum esse purgatorium, nec suffragia defunctorum: Sanctos non esse colendos aut inuocandos. Petrus Ioannis sub annum Domini 1199. sensit Papam esse mysticum Antichristum. Almaricus sub annum Christi 1104. docuit, Sanctorum imagines thurificare, esse idololatriā. Begardi & Bequinæ sub annum Christi 1300. affirmabant, nullam corpori Christi reuerentiam exhibendam. Lollardi similiter sub annum Christi 1213. hostiam consecratam, Deum fictitium appellabant; Pœnitentiæ Sacramentum negabant; Sanctorum inuocationem & merita contemnebant; extremam vnctionem irridebant. Wiclefus Anno Christi 1372. docebat, indulgentias nihil esse: Ecclesiam Romanam esse synagogam Sathanæ: Substantiam panis & vini remanere in Sacramento. Denique Ioannes Hus sub annum Christi 1414. negabat Petrum vnquam fuisse caput Ecclesiæ; Papalem dignitatem à Cæsare ortum habuisse dicebat; vtriusq; speciei communionem omnibus necessariò dandam esse contendebat.

En Pacate, quàm te insigniter adiuuerim, in conquirendis & repetendis ex veteri memoria illis, qui vobiscum aliquam doctrinæ communionem habuerint. Sed hi omnes causam tuā nihil iuuāt, nam nemo ex illis in omnib⁹ fidei vestræ articulis vobiscum sensit. Singuli aliquid docuerunt ex ijs, quæ vos vt oracula puri puti verbi Dei adoratis; in aliis plerisq; doctrina ipsorum à vestra distabat pluri-

mùm: Deinde hi omnes, hæreticorum loco ab Ecclesia Catholica sunt habiti, & vt hæretici condemnati; & merito. Nam eorum doctrina nec omnium temporũ erat, nec omnium locorum, nec omnium hominum. Notaui eorum incunabula; alijs ætatibus erant ignoti; noui homines nouis doctrinis Ecclesiam perturbabant, & post se discipulos abducebant. Quorum omnium condemnatio, fuit vestrum præiudicium, qui in eorum vestigijs eratis pedem posituri, quos si pro maioribus vestris agnoscitis, si vos ab eis vt parentibus ortos iactatis, necesse est vt ad vos illorum pœna perueniat, quorum erroribus adhæsistis; & perinde vt illi pro manifestis hæreticis habeamini. Nam quod vsurpare ad causæ vestræ defensionem soletis, vestram doctrinam esse Apostolicã, Apostolorum ætate prædicatam, quæ postea vetustate obsoleuerit, & multis erroribus sit obscurata: longè verius diceretis, fidem vestram nulli vnquam Catholico, multò minus Apostolis fuisse cognitam. Qua enim fronte dicere audetis, fidem Apostolicam ex hominum Christianorum memoria penitus obliteratam fuisse, & in solis biblicis chartis remansisse, & à vobis primùm esse excitatam & Ecclesiæ propositam? Si fides Apostolica per tot annorum centurias interciderat, necesse est Ecclesiam quoque Christi penitus fuisse ex vniuerso orbe sublatam; & columnam ac firmamentum veritatis concidisse; Spiritum sanctum quoq; munus docendi fideles omnem veritatem intermisisse; & portas inferi aduersus Ecclesiã præualuisse. Quæ omnia si absurdissima, & à scripturarum doctrina sunt alienissima, fateamini oportet vos Catholicos non esse, nec fidem vestram continua temporum serie ab Apostolis authoribus profluxisse, & vobis per manus venerandæ antiquitatis esse traditam; sed esse ex proprio Magistrorum vestrorum cerebro, & scripturis malè intellectis exsculptam, & ex veterum hæreticorum erroribus centonis instar consutam & consarcinatam. Quæ etiam causa fuit cur Euangelium vestrum, cùm primùm authore ac parente Luthero in Ger-

Euangelicis præcluditur familiaris euasio, scilicet doctrinam ipsorũ esse Apostolicam.

Euangeliũ Lutheri vt

in Ger-

in Germania lucem aſpexit, communi totius orbis Chriſtiani conſenſu manifeſtè hæreſeos ſit damnatum,& hac infami nota ad perpetuam ignominiam & deteſtationem inſignitum. Maximilianus I. Imperator, altero ſtatim defe-ctionis ab Eccleſiæ Lutheri anno 1518. ex conuentu Auguſtano in hunc modum de Euangelio veſtro ad Leonem X. Pont: Max: ſcripſit; *Beatiſſime Pater. Accepimus non adeò multos ante dies, quendam fratrem Auguſtinianum Martinum Lutherũ, nonnullas concluſiones in materia Indulgentiarum, ſcholaſtico more diſcutiendas diſſeminaſſe, necnon in concionibus ſuis, & ea de re, & de vi Apoſtolicarum excommunicationum plurima docuiſſe, in quibus damnoſa & hæretica pleraque videantur. &c.* Maximiliano verò vita functo, cùm imperium ad Carolum V. eſſet delatum, atque interim Lutheri errores longiùs in dies prouecti, ipſa etiam Rom. Pont. authoritate eſſent damnati: non defuit ſuo officio Catholicus Imperator, quin Lutherũ in Conuẽtu Wormatienſi, ſuo & aliorum Imperij fratrum nomine vnanimique conſenſu, ſeueriſſimo decreto tanquam manifeſtum hæreticum execraretur, eumque in eius fautores Imperiali banno ſubiectos proſcriberet, debitiſque pœnis mulctandos deſtinaret. Extat eius hac de re edictum in ipſis Lutheri operibus, cuius aliqua verba hoc loco referam: *Ad eam intemperiem animi dementiamq́; Lutherus progreſſus eſt, vt apertè glorietur, ſi Hus ſemel hæreticus fuerit, ſe meritò decies pro hæretico habendum eſſe. Ne verò cætera ſtudio breuitatis innumera Lutheri flagitia ordine perſequamur, conſtat hunc vnicum, non hominem, ſed dæmonem potiùs, figura & ſpecie humana cucullóq; monaſtico indutũ, complurium hæreticorum extremè damnatas hæreſes, quæ diu iam obſoleuerant, in vnam quaſi lernæam paludem coëgiſſe, multaſq́; præterea recentes & nouas excogitaſſe. &c.* Et inferius. *Principio ad laudem gloriamq́; omnipotentis Dei, & propugnationem Chriſtianæ fidei, Pontificis quoq; Romani & Sedis honorem debitum, authoritate ac poteſtate noſtra Cæſareæ dignitatis atq; officij, præterea vnanimi conſenſu, & voluntate noſtrorum Sacriq; Imperij electorum Principum, & ordinum hîc iam congregatorum, nos ad perpetuam rei memoriã,*

primùm natum, hæreticum eſt indicatum.

1. A Maximiliano I. Imp.

Habetur tom. I. Lut. Latin. Witteberg. pag. 203

2. A Carolo. 5.

Habetur tom 2 Lu. Latin. Wit. p. 445.

Carolus quintus quo loco habuerit Lutherũ

præstandamq́; Decreti, sententiæ ac condemnationis Bullæ, quam Sanctus Pater noster Papa, velut Ordinarius iudex controuersiarum religionis edidit executionem, supra memoratum Lutherum, tanquam membrum ab Ecclesia Dei separatum, perniciosi schismatis authorem, manifestum pertinacemq́; hæreticum, à nobis vobisq́; vniuersis & singulis existimandum detestandumq́; renunciamus, & declaramus, &c. Ita magnus ille Imperator ex vnanimi Ordinum Imperij consensu.

Atq; eundem suum Catholicum sensum, ex suo & aliorum Catholicorum Ordinum & statuum nomine, declarauit idem Imperator in Comitijs Augustanis, anno 1530. celebratis; in quibus edicto ibidem promulgato, Confessionem Augustanam recens sibi à Protestantibus oblatam, suoq; iussu à Catholicis Theologis mox refutatam, ac multa in specie Lutheranorum dogmata denuò reprobauit, & damnauit, nominatim quòd necesse sit etiam laicos sub vtraq; specie communicare, quòd sola fides iustificet. &c.

3. *Ab Georgio Saxoniæ Duce.* Hæresis præterea condemnauit Lutherum, optimæ memoriæ Princeps & Saxoniæ Dux Georgius, in illis, quarũ cap: 10. feci mentionem, ad ipsum Lutherum datis epistolis. In quarum priore ait: *Per tuam tuorumq́; discipulorum doctrinam, omnes antiquæ iamq́; aliâs damnatæ hæreses renouantur.*

4. *Ab Academiis Catholicis.* Sed & celebriores quæq; Academiæ Euangelium Lutheri pro hæretico damnârunt. Extat condemnatio librorum Lutheri scripta & publicata, per facultatem Theologicam Academiæ Louaniensis, anno 1519. 7. die mensis Nouembr. quæ in tomos Lutheri relata reperitur. (*Tom. 1. Ienen. Latin. pag. 498.*) Eodem anno penultima mensis Augusti, scripta & publicata fuit condemnatio facultatis Theologicæ Coloniensis, aduersus doctrinam Lutheri, vt in eodem Lutheri opere cernitur. (*Tom. 1. Ienen. pag. 499.*) Academia quoq; Parisiensis, plurimos articulos ex Lutheri diuersis libris collectos, grauissima Censura damnauit, anno 1521. die 15. April. (*Extat tom. 2. Latin. Witt. pag. 194.*) Sed & Academia Ingolstad. Anno D. 1523. communi iudicio, Lutheri doctrinam & fidem damnauit. Quarum Academiarum censura & iudicium eò plus ponderis habere

habere debet, quòd ipsemet Lutherus, anno 1518. se suamq; causam ad Academiarum Catholicarum iudicium retulit, protestando *se paratum esse omnia sua subijcere, inprimis iudicio S. Ecclesiæ Romanæ, deinde illustribus studijs, Basiliensi, Friburgensi & Louaniensi, ac si opus esset etiam antiquæ illi studiorum parenti, & in Theologicis rebus præcæteris vti florentissimæ, ita zelosissimæ vniuersitati Parisiensi.* vt ipsemet refert etiam in sua appellatione ad Papam. *Tom. 1. Ien. Lat. p. 205.* Prætereo tam multos doctissimos, & Catholicissimos viros, quorum suffragijs & calculis Lutherus est 5. hæresis iudicatus, Thomam Caietanum, Syluestrum Prieratem, Ioannem Eckium, Iacobum Latomum, Fridericũ Nauseam, Hieronymum Emserum, Georgium Wicelium, Ioannem Fabrum, Ioannem Driedonem, Ioannem Fischerum, Thomam Morum, Ambrosium Catharinum, Ruardũ Tapperum, Alphonsum de Castro, Ioannem Cochlæum. *A doctissimis quibusq; illius temporis Catholicis.* Vnius Erasmi hoc loco iudicium attexam. Sic ergo ille in epistola ad Pseudoeuangelicos: *Arduum est quod profitemini, & Apostolorum negotio duriùs, nec vos subleuant vlla vel vaticinia, vel miracula. Postulatis vt intra nouem annos mundus aspernetur, quod ante annos mille à maioribus est traditum, & in vestra dogmata pedibus eat ac manibus, nulla harum rerum quas recensuimus commendat. Quale autem est quod exigitis? vt credamus Ecclesiam annis mille quadringentis caruisse Christo, sed sponso stertente, sponsam pro Deo coluisse laruas & idola, in Sacris literis enarrandis fuisse prorsus cæcam, miracula Sanctorum nihil aliud fuisse quàm præstigias dæmonum?*

6. Longus essem si Summorum Pontificum, quorum suprema est in hoc iudicio authoritas, decreta attexerem, quibus Euangelium vestrum hæreticum est pronunciatum. Quæ quidem decreta, tanto pluris à vobis facienda sunt, quantò plus parens vester Lutherus Sum. Pontificum iudicio censuit esse tribuendum. Quoties enim ille Romani Pontificis Leonis X. authoritati se submisit? *Beatissime,* inquit, *Pater, prostratum me pedibus Beatitudinis tuæ offero, cum omnibus quæ sum & habeo. Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba. Vo-*

A Pontificibus Romanis quibus se initio Lutherus permisit vt Christi vicariis.

proba. Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Ita ipse in epist: ad Leonem X. anno 1518. scripta.

Extat Tom. 1. Ienen. Lat. p. 79. Eodem quoque anno in epist: ad Cardinalem Caietanum Leonis X. Legatum hæc scripsit. *Velit R. P. T. apud SS. D. N. Leonem X. pro me intercedere, ne tanta rigoris inclementia in me permoueatur, vt in tenebras proijciat animam, quærentem nonnisi lucẽ veritatis, & paratissimam cedere mutare, reuocare omnia.* Et in quadam appellatione ad eundem Leonem X. inter cætera sic ait: *Quibus me grauatum læsumq; sentio, cùm & hodie fatear me omnia sub pedibus SS. D. N. Leonis X. subiecisse, vt occidat, viuificet, reprobet, approbet, sicut placuerit, & vocem eius, vocem Christi in ipso præsidentis agnoscam.* Qua de causa etiam Lutherus à Caietano Legato re ipsa ad Leonem X. Pont. appellauit. In epistola verò, anno 1519. ad eundem Pont. scripta, clarè profitetur; *Ecclesiæ Romanæ potestatem esse super omnia, nec ei præferendum quicquam, siue in cælo, siue in terra, præter vnum* IESVM CHRISTVM *Dominum omnium.*

Tom. 1. Ienen. Lat. pag. 99.

Ibidem pag. 203.

Tom. 1. Ienen. Lat. pag. 222.

Hæc itaq; Ecclesia Romana, cui tantum Lutherus tribuit, per suos Rectores & Præsides, Rom. Pont. Leonem X. Adrianum 6. & alios consequentes, nouum Lutheri

7. Euangelium, hæreticum esse declarauit. Quâ sententiâ Oecumenicum quoq; Concilium Tridentinum illud percutit, cuius iudicio & decreto, meritò stare deberẽt omnes Euangelici, cùm eorum progenitores, auctoritatem generalis Concilij visi sint initiò plurimi facere, & summis votis expetere. Nam ad illud appellauit Lutherus A. 1518. & quod maius est, Neoeuangelici status in pluribus comitijs, ac speciatim in Augustanis, A. 1530. Concilium generale flagitârunt, imò & ad id appellârunt, vt refert non solùm Imperator Carolus. V. in suo edicto seu recessu eorumdem Comitiorum, sed etiam ipsimet Principes, & status Augustanæ Confessionis profitentur, in Præfatione latinæ Confessionis Augustanæ, libro Concordiæ insertæ. Quid quòd in Comitijs Augustanis, A. 1548. celebratis, ipso Cæsare Carolo attestante, ipsimet etiam Protestantium

A Concilio œcumenico Tridentino,

cui se Protestantes submiserant.

status,

ſtatus, ſeſe futuro Concilio Tridentino iam indicto ſubmiſerunt? Verba Imperatoris in receſſu eorundem Comitiorum ſunt iſta: *Quocirca de omnibus & ſingulis ſtatibus benignißimè confidimus, ipſos eiusmodi generali Concilio adhæſuros, eique ſe ſubmiſſuros, ſicut etiam Electores Principes & communes ſtatus, abſentiumq́; Legati & commiſſarij in communi re ipſa nunc cõſenſerunt & receperunt, ac nobiſcum vnanimiter conſenſerunt, ſe inchoato illi Concilio obtẽperaturos, eiusq́; deciſioni ac iudicio ſtaturos.* Hoc itaq; Conciliũ præſidentibus pro conſueto more Apoſtolicis legatis, aſſiſtentibus etiam tum ipſius Imperatoris, tum aliorum Regum & Principum Chriſtianorum legatis, maxima & œcumenico Concilio digna frequentia Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & aliorum inſignium Prælatorum, ac doctiſſimorum virorum, ex vniuerſo orbe Chriſtiano conuocatorum, vos omnes Euangelicos, cuiuſcunq; generis & modi eſtis, hæreticos pronunciauit. Ita vt optimo iure hîc repetere poſſim illud Auguſtini in ſimili contra hæreticos dictum; *Cauſa finita eſt, vtinam aliquando finiatur error.* Quo enim modo in primis quatuor Oecumenicis concilijs Arius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, damnati vt hæretici fuerunt; ita prorſus in hoc Concilio Lutheri, Caluini, Zuinglij, Anabaptiſtarũ, Trinitariorum, omniumq́; eiuſmodi Nouatorum errores damnati ſunt.

Sed illud quoq; breuiter eſt cõmemorandum, quo pacto vos Euangelici ab Eccleſia Græca hæretici iudicati, & ab eius in doctrina fidei cõmunicatione turpiter eſtis reiecti. Quod ipſimet Anteſignani veſtri, Schmidelinus & Cruſius, dolenter admodum tulerunt. Cùm enim tranſmiſſa Confeſſione Auguſtana ad Ieremiam Patriarcham Conſtantinop. eius approbationem adeoq́; cum Eccleſia Græca cõmunionẽ miris ſeu technis ſeu blanditijs elicere, & eblãdiri conati eſſent, vt ex mutuis eorũ ſcriptis conſtat, quæ poſtea A. 1583. ab ipſiſmet Theologis Vittenberg. cogẽte neceſſitate publici iuris facta ſunt: in ſingulis ferè ſuæ Confeſſionis

8. *Ab Eccleſiâ Græcâ.*

nobiscum controuersis articulis, sinistrâ notam, nigrumq; theta abstulerunt. Sed placet hoc loco nonnulla Ieremiæ verba transcribere: *Iam verò*, inquit, *quandoquidem è Sacramentis quædam admittitis (sed cum errore) quædam verò nec Sacramenta esse dicitis: quandoquidem præterea inuocationem Sanctorũ vanam existimatis: & imagines eorum venerãdasq; reliquias, & adorationem reijcitis: reijcitis item mutuam alterius ad alterum confessionem: præterea monasticam vitam Angelis æqualem. Ideo nos ad hæc respondemus; diuina dicta, quæ de his extant, non ita exposita esse ab alijs Theologis, qui diuini viri Spiritu S. pleni, miraculis à se in vita & post mortem editis clari, sic interpretati sunt quemadmodum habemus. Vnde igitur vos rectiùs & meliùs vetere nouaq; Roma sapuistis? vt vestrorum Theologorum scriptis relictis, vestra ista meliora potioraq; duceretis? Rogamus itaq; vos, ne posthac nobis negotium facessatis, & vestram viam euntes, ne ampliùs de dogmatibus, sed amicitiæ tantùm causa si volueritis scribite.* Ita Patriarcha ille Constantinop. ex communi Græcorum sensu apertum fecit, nihil Ecclesiæ Græcæ cum vestra Euangelica esse commune: nec vos vllum vestræ fidei præsidium ab Ecclesia Græca petere posse.

9. Quod si etiam Lutheri ipsius iudicium exquirendum est; facilè ex eius sententia vos Euangelicos hæreticos esse demonstrabimus. Is enim disertè asserit, non diu disputandum, sed indicta causa & inauditos damnandos esse, sicut blasphemos illos, qui contra generales Ecclesiæ articulos aliquid nouare satagunt. *Nam tales*, inquit, *articuli recepti in tota Ecclesia, satis auditi sunt, satis excussi, approbati, satis firmati per scripturam, per virtutes & miracula, per sanguinem Martyrum, per scripta & confessionem totius Ecclesiæ. Nec vllo modo ferendus est vllus sapientulus, qui illos reuocare velit in dubium.* Et suprà, inquit: *Sic legimus, quòd Patres in Concilio Nicæno, cùm Arianorum dogma audirent recitari, protinus hoc explodendum, & supprimendum, sine vlla cognitione duxerunt, & absq; vlla disputatione protinus damnauerunt, tanquam manifestam blasphemiam.* Ita Lutherus se, & vos posteros suos, proprio iudicio pro blasphemis & hæreticis condemna-

Ipsius Lutheri iudicio.

Enarrat in Psal. 82. tom. 3. Wit.

condemnauit. Præclarum quoq; est illud eius iudicium de Papatu, quod in epistola de Anabaptismo ad duos Parochos scriptum reliquit. *Nos*, inquit, *ingenuè fatemur, quòd in Papatu multa bona sunt Christiano nomine digna, quæ & inde vsque ad nos promanârunt. Fatemur nimirum, quod in Papatu vera sit Sacra scriptura, verus baptismus, verum altaris sacramentum, vera claues ad remissionem peccatorum, verum concionandi munus, verus catechismus; vt sunt oratio Dominica, decem præcepta, & fidei articuli.* Et paulò inferiùs. *Ego dico sub Papatu esse verum Christianismũ, imò nucleum Christianismi.* Et rursum. *Si sub Papâ est Christianitas, tum sanè ea Christi corpus & membrum esse debet. Quòd si corpus Christi est, tum habet etiam verum spiritum, Euangelium, fidem, Baptismum, Sacramenta, claues, munus prædicandi, orationem, Scripturam Sacram, & quicquid Christianitas habere debet.* Ex qua Lutheri Confessione, tale contra ipsum & sequaces eius Euangelicos argumentum extrui potest. Ille est hæreticus, qui desciscit ab Ecclesia, quæ est corpus Christi, quæq; spiritum eius habet, in qua est nucleus Christianitatis, verum Euangelium, vera fides: Sed Lutherus cum suis desciuit à Papatu, quæ est Ecclesia corpus Christi, &c. Ergo Lutherus cum suis est hæreticus.

Tom: 2. Germ. Wit. fol. 229.

Lutheri testimoniũ de Papatu præclarum.

quo ipse hæreticus cum suis demonstratur.

Ad extremum Euangelici in plures inter se sectas diuisi, hæreticos sese inuicem pronunciant, Caluinistæ Lutheranos, & Lutherani Caluinistas; (vt de Anabaptistis interim taceam) quod domesticum ipsorum testimonium ab ipsismet profectum, maximi faciendum est. Caluin. in vltima admonitione ad Westphalum, omnes Lutheranos proclamat hæreticos; qui recusant damnata sententia Lutheri, Sacramentariæ Caluini doctrinæ subscribere. Idem contra Heshusium omnes Lutheranos appellat mancipia Sathanæ, quæ diabolus horribili modo fascinauerit. Bucerus super Ioannem vocat Lutheranos, nouos Marcionitas. Alij item Caluinistæ in suo Palingenio vocant eosdẽ Sathanæ Ministros, Pseudoprophetas, Pseudoapostolos; & vt refert Lutheranus Prædicans Conradus Schlusselburgius, doctri-

10. Testimonio proprio Euangelicorũ mutuo. Nam Caluinistæ pro hæreticis habent Lutheranos.

l. 2. artic 1.

us, doctrinam Lutheri vocant ineptum commentum hominum, doctrinam nouam & mendacem, crassum delirium, cōmentum à diabolo suggestum, doctrinam schismaticam, sectariam. Lutheranos verò ipsos clamant esse hæreticos, asinos, & diabolos, & diaboli incantatione excœcatos. Quæ omnia epitheta præclara fatetur se ex Caluinistarum ipsorum scriptis collegisse. Non dissimili ratione Caluinistæ tractantur à Lutheranis. Lutherus ipse alicubi inquit; *Hæreticos seriò censemus, & alienos ab Ecclesia Dei esse, Zuinglianos, & omnes Sacramentarios, qui negant Corpus & Sanguinem Christi ore carnali sumi in Venerabili Eucharistia.* Is etiam, quem paulò antè nominaui Schlusselburgius, passim doctrinam Caluinistarum vocat hæresim Sacramentariam, Sathanicam blasphemiam, doctrinam ex inspiratione atri spiritus, id est diaboli, qui Cinglio in somnis apparuit, profectā. Ioannes Schutz Lutheranus ait, Sacramentarismum esse camerinam quandam, in quam multæ hæreses confluxerunt. Verè illud est dictum à Dauide: *Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Ita enim tui, Pacate, Euangelici mutuis dentibus & linguis se lacerant, & proscindunt, vt à nobis Catholicis peiùs & indigniùs tractari non possint. Luporum scilicet sunt persimiles, qui non solùm ouibus, sed & suo generi, infesti sunt; apud vos quoq; homo homini est lupus. *Nam cùm*, ait Iustinus martyr, *damnent hæretici alij alios ob opinionum dissensionem; perspicuum est, omnes horum hæreses occasionem habuisse ex ambitione & mala inuidia hæresiarcharum; propter quam causam lupi graues, ab Apostolo nominati sunt.* Sed bene est. hæc luporum inter se feritas ouium Christi salus est: hæc inimicorum pugna Ecclesiæ victoria est. Nam, vti prudenter obseruauit S. Hilarius, *dum hæretici omnes se inuicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria enim eorum Ecclesiæ triumphus ex omnibus est, dum in eo hæresis contra alteram pugnat, quod in hæresi altera Ecclesiæ fides damnat. Nihil enim est quod hæreticis commune sit, & inter hæc fidem nostram, dum sibi aduersantur, affirmant.*

Lutherani Caluinistas

Thes: 27. contra 31. artic. Louaniens.

In lib: 50. causarum.

Psal. 56.

Iusti. quæst. 4. ad Orthodox.

lib: 7. de Trinit.

Conclu-

Concludo, Pacate. hæretici estis vniuersi orbis Christiani, Catholicæ Ecclesiæ, & vestro deniq; iudicio. Quis tantæ authoritati nō credat? quis maius aut grauius iudicium requirat? quis plures aut aptiores iudices postulet? quæ maior potest esse damnatio, quàm ea in quam à tot seculis cōsensit orbis Christianus: quæ ita approbatur ab omnibus, vt nullus amplius supersit qui contradicat præter ipsos reos? à quá non potest fieri appellatio, nisi ipsi rei iudices omnium constituantur! At quis vnquam reum à toto orbe condemnatum iudicem suæ causæ, & omnium Iudicum constituat? aut illi contra omnium iudicia se reum non esse affirmanti credendum putet?

Dices, Pacate, sat scio, cum tuis, te ad tribunal non hominum sed ipsius Dei stare; Scripturam iudicem appellare, & hoc iudice te à labe hæresis absolui. Sed primum à te quæro, cur iudicium Catholicæ Ecclesiæ hominum nō Dei iudicium putas? Nonné ex hominibus constabat illa Ecclesia, quæ Hierosolymis cognitura de negotio religionis cōuenerat, & nihilominus sententiam suam Spiritus S. sentētiam esse pronunciauit? *Visum est,* inquit, *Spiritui S. & nobis.* num deterior est posterioris Ecclesiæ Catholicæ, quàm illius, quæ sub Apostolis, floruit conditio? Excipies fortè Ecclesiā Catholicā cum Apostolis immaturo funere sublatā esse. Hoc verò desperatum planè est perfugium, & scripturis ipsis planè repugnans, quæ Christi regnum quod est Ecclesia perpetuum fore, & ad finē vsque mundi duraturū docent. *Et regni eius non erit finis* dicit Angelus, in domo scilicet Iacob, hoc est, Ecclesia. Quod si, vt tu vis, Ecclesia Catholica cum Apostolis defecit, ergo nullus postea iudicari potuit & censeri hæreticus; quia nulla fuit Ecclesia, ad quam Christi mādato deferretur, cuius iudicio stare teneretur, & quam si audire nollet, pro Ethnico & publicano haberetur. Quis ergo ille cœtus hominum fuit (si Ecclesia Catholica non fuit) qui hæresis sententiam in Arium, Macedoniū, Nestorium, Eutychetem, Iouinianum, Vigilantium, Pelagium, Iconomachos,

Responsio Euangelicorum, quâ dicunt se Scripturâ iudice liberos ab hæresi, reijcitur.

Actor: 15.

Luc: 1.

machos, Berengarium, & alios tulit? Dices, scripturam contra eos hæresis sententiam tulisse? Hoc verò respōsum aduersatur Christo, qui pro Ethnico, & publicano haberi voluit illum, non qui solius scripturæ; sed qui Ecclesiæ quā audire nollet iudicio talis pronunciaretur. Deinde mirum est, Pacate, vos dum ad tribunal scripturæ appellatis, non animaduertere, quàm stulti & vecordes sitis. Perinde enim facitis, ac si reus quispiam in omnibus Regni tribunalibus, & iudicum consessibus, ac subselliis, perduellionis condemnatus, ad Codicem legum appellaret, & ex eo probare vellet se non perduellem, sed pium, & officiosum erga patriam esse: interim tamen hunc Codicem vellet intelligi, non vt ab omnibus Iurisperitis & iudicibus intelligitur, sed iuxta propriam interpretationem. Quæ maior enim hac excogitari potest vecordia? Nam si huic appellationi deferendum erit, nullus vnquam reus condemnari, nulla causa iure decidi poterit aut terminari. Tales vos profectò estis, & simili vesania & vecordia laboratis. In omnibus enim legitimis fidei & religionis tribunalibus, hæreseos manifestò condemnati, ad Sacram scripturam prouocatis, & quidem ea conditione, vt illa non iuxta receptū Doctorum & Ecclesiæ Catholicæ sensum, sed secundùm propriam vestram phantasiam explicetur. Quæ sanè appellatio si, vt iusta & legitima, fuisset vnquam admissa, iam nulli vnquam fuissent hæretici. non Ariani, non Sabelliani, non Macedoniani, non Donatistæ, non alij cuiusuis generis: omnes enim isti ad Scripturam iudicem prouocabant, & eam à se stare constanter affirmabant. quia illam pro libito exponebant, & ad hæreticos suos sensus detorquebant. Imò si rectè attendas, Pacate, hoc non ad iudicium Scripturæ appellare, sed est quempiam seipsum totius causæ cognitorem & iudicem constituere, dum sibiipsi scripturæ interpretationem, tanquam vltimam sententiam vendicat. Tota enim vis scripturæ est in sensu: qui ergo sensum proprium scripturæ affingit, & alium, qui errori ipsius ad-

Euangelici volunt iudicari à scriptura intellecta prout ipsis placet.

Euangelici dum prouocant ad Scripturam ad propriū iudicium prouocant.

ſius aduerſetur, non admittit; is profectò dum ad ſcripturæ tribunal appellat, ad ſuum proprium tribunal appellat, & ſeipſum totius controuerſiæ iudicem conſtituit; ſicq; nullo negotio à ſeipſo liber & innocens, atque ab hæreſi immunis pronunciatur, reliquis condemnatis. quo quidem iudicio nihil eſt iniquius.

CAPVT XII.

Ex ea definitione Hæreſis, quam Pacatus attulit, oſtenditur Euangelicos eſſe hæreticos.

QVid tu hic Pacate? conuictúſné tibi hæreſis videris? Fortè vis, vt tuam, quam attuliſti, hæreſis definitionem, pro lege & regula in hoc iudicio præ oculis habeam & ſequar. Non repugno: ſed priùs definitionem illam ad examen voco. *Hæreſis,* inquis, *eſt dogma peruerſum & contrarium fidei Catholicæ.* Placet. Hucuſque ſapis. Sed mox deliras. *quo quis præfractè aut Deum negat.* nimis ampla hæreſis definitio; ita vt etiam atheiſmum complectatur. Nam qui Deum negat, non hæreticus, ſed atheus eſt. Subiungis: *vel attributa eius, & opera.* Quid per hæc intelligas, mox explicas. *Attributa ſiue opera puto creationem & recreationem: id eſt, redemptionem & ſanctificationem.* Mirus es Theologus, Pacate, neque Thomiſta, neque Scotiſta, neque alterius recepti ordinis. Apud te ſunt omnia noua, fides noua, terminorum Theologicorum explicatio noua. Attributa & opera Dei confundis, & pro eodem accipis, neſcio quem Theologorum ſecutus. Hactenus Theologi attributa diuina ab operibus diſtinxerunt; ſed ex tuo Euangelico capite, ſicut è cerebro Iouis, noua eſt prognata Theologia, quæ attributa ab operibus non ſecernit. Sed age videamus, ſi melior ſis Logicus, quàm Theologus. Anguſtiorem definitionem definito facere, præceptis Logicorum repugnat. Talis eſt definitio tua; nam multa falſa dogmata quæ fidei Catholi-

Examinatur definitio hæreſis à Pacato tradita.

Catholicæ repugnant, ſub hæreſi non cõprehendit. Negare vllã eſſe Scripturã S. ſine dubio craſſiſſima eſſet hæreſis fidei Catholicæ repugnans: & tamen huiuſmodi hæreſim tua definitio non capit. Nam qui ſcripturam negaret, neq; Deum, neq; attributa eius ſiue opera negaret: Scriptura enim ſacra, neq; eſt creatio, neque recreatio: quæ duo ſunt apud te attributa diuina ſeu opera. Similiter hæreſis eſſet ſymbolo Apoſtolico repugnans, & fidei Catholicæ cõtraria, negare Eccleſiam Catholicam eſſe vllam. qui tamen eiuſmodi hæreſim profiteretur, facilè ſe à crimine hæreſeos præſidio tuæ definitionis defenderet. Diceret enim ſe cùm Eccleſiam negat, neque Deum, neque creationem aut recreationem eius negare. Eodem pacto veteres hæretici, qui quouis modo circa diuiniſſimum incarnationis myſterium contra fidem Catholicam ſenſerunt, ab hæreſi eſſent immunes. Nam illi neq; Deum negabant, neq; creationẽ eius vel recreationẽ. nã recreatio te authore redemptionẽ, & ſanctificationem ſolùm complectitur: atqui incarnatio nec eſt redemptio hominum, nec ſanctificatio; ſed veluti via quædam ad redemptionem & ſanctificationem, quatenus per hoc myſterium factum eſt, vt Deus carnem noſtrã indueret, per quam nos redimeret & ſanctificaret. Quid dicam de carnis reſurrectione? Hæc etiam neq; redẽptio, neq; ſanctificatio eſt; ergo abſq; periculo hæreſeos te doctore negari poteſt. Quid Matrimoniũ, ſi quis illicitum eſſe defenderet, ſi infernum non admitteret, num redemptionem vel ſanctificationem negaret? non itaq; hæreticus tua ſententia eſſet. Multa ſimilia exempla coaceruari poſſent, quæ oſtendunt non eſſe integram vim hæreſeos, quàm latiſſimè patet, tua definitione comprehenſam. Malus ergo Theologus & Logicus es, Pacate. Cur quæſo veteres Patres non conſuluiſti, vt ab ijs diſceres quid nam eſſet hæreſis, quiuè propriè hæretici cenſendi? Cur Tertullianum non adijſti, qui ſic alicubi ſcribit. *Hæreticus deſtinari poteſt is, qui deſerto quod priùs fuerat id poſtea ſibi elegit, quod retro non erat.*

l. 1. aduerſ. Marcion: cap. 1.

In tantum

In tantùm enim hæresis deputabitur, quod postea inducitur, in quantum veritas habebitur, quod retro & à primordio traditum est. Et alibi. *Quodcūq; aduersus veritatem sapit, hoc erit hæresis etiam vetus consuetudo.* Et alio loco. *Hæc erit peruersitas fidei, probata non credere, non probata præsumere.* Cur Augustinum quoq; non legisti, vbi dicit: *Hæreticus est, vt mea fert opinio, qui falsas ac nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur.* Et alio loco: *Si quis falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad fidei pertinet ædificationē, ita vt non quærentis cunctatione tentatus sit, sed inconcussè credentis, hæreticus est.* Et alibi: *Hæresis est diuersa sequentium secta.* Quod si Patrum istorum opera euoluere otium tibi non erat; saltem euoluisses S. Thomam, & ab eo didicisses. *Hæresim esse infidelitatis speciem, ad eos qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt.* Sed videor mihi consilium tuum quod in illa definitione tradenda secutus es, non obscurè intelligere. Talem voluisti tradere hæresis definitionem, qua te tuosq; à crimine hæresis expedires. sed an rectè rationes tuas omnes subduxeris, iam videro.

lib: de veland. virg. cap. 1.
lib: adu. Gnost: c. 11.
lib: de vtilit. credēdi cap 1.
Quæst. 11. in Matth.
lib: 2. contra Crescō. cap. 3.
2. 2. q. 11. art. 1.

Ais ergo. *Hæresim esse dogma peruersum, & contrarium fidei Catholicæ.* Si ita est, vt est, vos estis hæretici, quia dogmata peruersa, & contraria fidei Catholicæ pertinaciter defenditis. Qualia sunt illa omnia, quæ superiori capite recēsui, quorū cōtraria pro fidei Catholicæ dogmatibus Ecclesia semper habuit. Pergis. eum quoq; hæreticū esse doces, qui attributa Dei negat. Si attributa Dei more Theologico explicentur, perfectiones diuinæ, quæ per modum attributorum essentiæ diuinæ conuenire à nobis intelliguntur, multi ex vestris doctioribus Euangelicis, sunt absurdissimi hæretici, qui eiusmodi attributa Deo negant, quæ tamen illi tribui in scriptura leguntur. Scriptura quod nemini obscurum est, attribuit Deo omnipotentiam. *Abba pater*, ait Christus, *Omnia tibi possibilia sunt.* Et: *Ego Deus omnipotens.* Apostolicum quoq; Symbolum tradit Deum esse omnipotentem. Hoc tamen attributum Caluinus Deo adimit. Ait enim: *Neq; tamen commentum ingerimus absolutæ potentiæ, quod*

Ex illa tamen definitione probatur Euāgelicos esse hæreticos.
Marc: 14.
Gen: 35.
l. 2. Instit. c. 7. §. 5.
Caluinus negat Dei omnipotentiam.

 sicuti

ſicuti prophanũ eſt, ita meritò deteſtabile nobis eſſe debet. Abſolutæ potentiæ nomine eã Caluinus intelligit, qua creditur Deus omnia facere poſſe, etiam quæ ſcriptura negat vnquam futura. V. G. Negabit Caluinus Deum alterũ diluuium immittere poſſe, eò quòd ſcriptura neget illud eſſe futurum. Quæ quidem inſignis eſt in Deum blaſphemia. Etſi enim impoſſibile ſit illud fieri quod ſcriptura negat futurum; nõ iccirco tamen hinc inferre debet hæreticus, Deum non poſſe illud facere. Nec enim huius rei cauſa eſt Dei impotentia, ſed voluntas, qua decreuit ſe id minimè facturum, idq́; nobis per ſcripturam manifeſtauit. Scriptura præterea ſacra Deum agnoſcit eſſe infinitum. *Magnus Dominus & magnitudinis eius non eſt finis.* Et: *Magnus eſt & non habet finem.* Hoc attributo Worſtius Caluiniſta in proprio tractatu de Deo, & attributis diuinis, Deum ſpoliat. Ait enim: *Deum non eſſe actu ſimpliciter infinitum, neq; eſſendo, neq; operando.* Et paulò poſt. *Eſt quidem Deus purus actus, ſed hoc non vetat quin ſimul ſit in ſeſe finitus.* Eadem ſcriptura tradit, Deum cœlum & terram immenſitate ſuæ ſubſtantiæ implere. *Cælum & terram ego impleo.* At idem Worſtius docet: *Deum ratione ſubſtantiæ ſuæ tantùm eſſe in cælo: in terra verò virtute & ſapientia ſua nobis adeſſe.* Adhæc ſcriptura Deum eſſe in ſe immutabilem tradit. *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* At Worſtius ait, *non ſatis circumſpectè eos loqui, qui Deum vt eſſentia, ſic etiam voluntate prorſus immutabilem eſſe affirmant.* Non legerat præterea iſte Theologaſter illa verba Apoſtoli: *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Quid quod ſcriptura docet, non ſolùm circa prædeſtinatos, ſed etiam circa reprobos magis clemẽtem eſſe, & miſericordem, quàm iuſtum, & ſeuerum. *Suauis,* inquit, *Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Audet tamen oppoſitum docere Caluin⁹. Nam eius ſentẽtia, circa ſolos prædeſtinatos Deus exercet miſericordiam; circa reprobos nonniſi iuſtitiam, & ſeueritatem. Hos enim indicta cauſa, vt ipſe vult, deuouet æternæ morti. *non*

Pſal: 144. Baruch: 3.

Worſtius Caluin: negat infinitatem & immenſitatẽ Dei.

Pag: 234. Pag: 235. Ierem: 23. Pag: 235. & 237. Pſal: 101. Pag: 212. Iacob: 1.

Pſal: 144.

Caluinus negat Deũ eſſe miſericordẽ erga omnes.

pari, inquit, *conditione creantur omnes, sed alijs vita æterna, alijs damnatio æterna præordinatur. Vbicunq; autem hoc regnat Dei placitum, nulla in considerationem veniunt opera.* lib: 3. Inst: c. 21. §. 5. & cap. 22. §. 3.

Venio ad opus quod vocat Pacatus Recreationis diuinæ; quod redemptionem & sanctificationem eodem authore complectitur. Et hic quoq; hæreseos Doctorum vestrorum non est difficile inuenire. Scriptura sanè salutem nostram & redemptionem, sanguini, & morti corporali Christi tribuit. *In quo,* inquit, *habemus redemptionem per sanguinem eius.* Et: *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* At verò Caluinus docet corporali morte Christum nihil egisse, sed inferni dolores pati quoq; debuisse. *Nihil,* inquit, *actum erat, si corporea tantùm morte defunctus fuisset Christus, sed oportuit etiam eum cum inferorum copijs, æternæq; mortis horrore luctari.* Scriptura docet, peccata in iustificatione, seu sanctificatione nostra, tolli penitus & deleri. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et, *Pœnitemini, & conuertimini vt deleantur peccata vestra.* Secus Caluino videtur, cuius hæc sunt verba. *Manet verè peccatum in nobis, neq; per Baptismum extinguitur.* quæ doctrina communiter ab Euangelicis est recepta. Aiunt enim peccata in iustificatione manere quidem; sed tegi & occultari iustitia Christi, ne appareant. Ad hæc scriptura docet homines in iustificatione interiùs renouari & sanctificari. *Renouamini,* inquit, *spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deũ creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.* At Euangelicorum dogma est, nullam in iustificatione fieri internam hominis renouationem, per acquisitionem alicuius sanctitatis; sed solùm illi Christi iustitiam imputari, vt propter illam iustus habeatur. *Vides,* inquit Caluinus, *non in nobis, sed in Christo esse iustitiam nostram.* Et alibi. *Pro iustis in Christo censemur, qui in nobis non sumus.* Et: *Homo iustus est non re ipsa, sed imputatione.* Euangelici præterea docent, omnia opera hominis iustificati esse peccata mortalia. *Habemus,* inquit Caluin: *nec vnum à sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur iustam opprobrij mercedem.* Et paulò pòst: *nullum*

Ephes: 1. 1. Ioan: 1. li: 2. Inst: ca. 16. §. 10. Caluini dogma Christi mortem nõ sufficiße ad nos redimendos. Ioan: 1. Act: 3. In antid: Conc: Tri: Sess: 5. Et per Baptismũ peccatum non deleri. Ephes: 4. Nos esse iustos iustitia imputatiua lib: 3. Inst: c. 11. §. 23. lib: 3: Inst: cap: 11. §. 3. §. 11. Ibid. lib: 3. Inst: c. 14. §. 4. Opera iustorum esse damnabilia Ibid. §. 11.

vnquam extitit pij hominis opus, quodsi seuero iudicio Dei examinaretur, non esset damnabile. Talem iste impostor sanctificationem nobis per Christum partam fingit, vt per eam nec re ipsa sancti & mundi reddamur, nec nisi damnatione, & opprobrio digna opera facere possimus. At non eiusmodi sanctificationem per Christum esse nos consecutos docet scriptura; sed eam qua præditi bonorum & sanctorum operum lætissimos fructus afferamus. *Satagite,* ait Petrus, iustificatos alloqẽs *vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Hoc enim facientes non peccabitis aliquando.* Ecce Apostolus affirmat iustificatos non peccaturos, si admonitu eius bonis operibus faciendis insistant. At quomodo peccaturi non sunt, quorum singula opera sunt damnabilia, & qui quouis opere iustam opprobrij mercedem apud Deum promerentur? Mitto ea quæ docetis de Sacramentis, quæ sunt præcipua sanctificationis nostræ instrumenta à Christo instituta, quæ in nuda signa, & sigilla nescio quæ, dempta eis omni efficacia ad animos nostros sanctificandos conuertistis contra apertissimam scripturarum doctrinam. Hæreticè ergo de diuinis attributis (prout à te sunt explicata) & sentitis & docetis: hæretici itaq; estis, & donec ad saniorẽ mentem redieritis, non alio quàm hæreticorum loco à nobis habebimini. Quod si hæretici, vt probaui, estis, rectè author PACIS NON PACIS asseruit, vos dum Confœderationis pacem petitis, non aliud quàm grauissimi hæreseos criminis impunitam licentiam postulare.

2. Petr. 1.

CAPVT XIII.

Catholicos Romanos hodiernos ab vna fide veteri Catholica Romana minimè discessisse probatur.

DIxerat author PACIS NON PACIS; *Vbi ab vna fide veteri Catholica Romana disceditur, ibi non amplius esse fidem, sed hæreses.* Pro hoc pronunciato gratiam habet ei Pacatus, & quasi

& quaſi proprio gladio caput hoſti amputaturus; *Aſſumo*, inquit: *Hodierni Romanenſes ab vna fide veteri Catholica Romana diſceſſerunt. Tu conclude.* Concludam mox; ſed volo priùs te aſſumptionē iſtam probātem audire. *Vis*, inquis, *probem minorem.* Hoc ipſum eſt quod à te cupio. *En*, ais, *aliquot Syllogiſmos.* Hos ego tuos Syllogiſmos in lectorum gratiam hic proponam, & vnicuiq; breuiſſimam reſponſionem Catholicam ſubiungam.

Primus Syllogiſmus eſt:

Fides vetus Catholica Romanorum non venerata eſt, neq; coluit ea, quæ condita ſunt, ſupra eum qui condidit. Fides noua Romanorum veneratur & colit ea, quæ condita ſunt, ſupra eum qui condidit: ergo fides noua Romana non eſt vetus illa Catholica Romanorū. Minor probatur. *Noua Romanorum fides plura in Mariæ, & Sanctorum, quàm in Dei Patris, Filij, & Spiritus S. honorem templa extruxit: plures in illorum, quàm huius honorē, fraternitates, plura feſta inſtituit: plus in Sanctorum meritis, & interceſſionibus, quàm Dei gratia, & Chriſti merito confidit: ſæpiùs Sanctos & Sanctas, quàm Deum inuocat, precibusq; ſe ipſorum commendat.*

En primum Syllogiſmum, tanquam validiſſimum telum, in hoſtem coniectum. Excipio telum hoc, Pacate, clypeo veteris Catholicæ Orthodoxæ munitus doctrinæ, nulloq; nogotio repello, & caſſum, ac irritum reddo. Vide enim quàm in eo multipliciter erres.

Primùm erras, quòd nouam Romanorum fidem eſſe ais, in Mariæ & Sanctorum honorem templa extruere. An tibi videtur nouus S. Martialis Epiſcopus Lemouicenſis Galliarum dictus Apoſtolus, qui ex oriente Romam cum S. Petro venerat, & ab eodem in Gallias eſt amandatus: qui Lemouicis primùm in vniuerſa Gallia dicâſſe templum traditur in honorem S. Stephani Protomartyris, dirutis quæ in eo loco pridem gentilitas coluerat ſimulachris, quique poſtmodum Anno Chriſti 75. martyrij coronam eſt conſecutus. Anacletum ſimiliter Papam num recentem & nouum putas? qui temporibus Traiani Imp. anno Chriſti

Vetuſtiſſimus mos Eccleſiæ tēpla in honorem Sanctorum ædificandi.

Baron: A. Chriſti 74.

Baron: A. Christi 106. ex lib: de Rom: Pontificib.

103. regere cœpit Ecclesiam. Porrò is cùm adhuc Presbyter esset, binas Memorias seu Ecclesias (quas Trophœa Apostolorum appellauit) in honorem SS. Petri & Pauli exædificauit: quæ quidem Ecclesiæ, quod omnem admirationem superat, in tot temporum illorum dirissimis persecutionibus integræ perseuerârunt, & sacrilegas Ethnicorum manus euaserunt; quod memoriæ prodidit Gaius antiquus Theologus, qui sub Zephyrino Papa vixit, easque Ecclesias non semel proprijs oculis spectauit. Quid Athanasius, num & iste iudicio tuo nouus est? qui in epistola ad solitariam vitam agentes templum S. Quirini nominat. Quid Eusebius? qui à Constantino Imp. templum in vrbe sui cognomine ad perpetuam Apostolorum memoriam conseruandã ædificatum scribit? Quid Concilium Gangrense circa annum Christi 324. celebratum? quod in hunc modum decreuit: *Si quis per superbiam tanquam perfectum se existimans, conuentus, qui per loca & Basylicas martyrum fiunt, accusauerit, anathema sit.* Quid de Basilio, Greg: Nazianzeno, Cyrillo Hierosolymitano, Ioãne Chrysost: Sozomeno, Isidoro Pelusiota, Theodoreto, Timotheo Alexandrino, Procopio Cæsareensi, Anastasio Synaita, Euagrio, Sophronio Hierosolymitano, Germano Constantinop. Ioanne Damasceno, Simeone Metaphraste, Euthymio, Zonara, Choniata, Nicephoro Callisto, & Gregor: Græcis: & ex Latinis, Ambrosio, Prudentio, Hieronymo, Augustino, Paulino Nolano, Orosio, Leone Magno, Sidonio Apollinari, Victore Vticense, Vigilio Papa, Fortunato, Gregorio Turonense, Gregorio Magno, Isidoro Hispaleñ, Beda, Alcuino, Paulo Diacono, Carolo Magno, & aliis innumeris dicam? qui omnes variis ætatibus templorum & basilicarum in memoriam & honorem Sanctorum extructarum meminerunt: num isti quoque omnes nudiustertius nati sunt? an non potiùs permulti ex illis Apostolorum temporibus proximi vixerunt, S. Martialis etiam cum Petro Apostolo est multùm conuersatus. Quod si horum fides de templis in honorem Sanctorum

Gaius apud Eusebiũ l. 2. hist: c. 24.

l. 4. vita c. 58. 59. 60.

Vide Coccium in thesauro tom: 1. lib: 5. ait 13.

ctorum extruendis noua tibi videtur, quid vetus & antiquũ tibi sit non intelligo, præter Lutheri & Caluini Euangeliũ, quod non ante centum hos annos natum vnicè exoscularis, idque tibi omnium ætatum & seculorum memoriã superare, & ab ipsis Apostolis immediatè Luthero & Caluino traditum esse videtur.

Erras secundò, quòd plura templa in Sanctorum, quàm Dei ipsius memoriam à nobis extrui dicas. Nescis videlicet (si tamen nescis) omnium Sanctorum templa, primariò ad solius Dei honorem & cultum à nobis construi: imò, vt pressiùs dicã, templa nulla Sanctis, & omnia soli Deo à nobis erigi. Quod si tibi mirum videtur, mirare Augustinum, qui clarissimè testatur templi erectionem, esse cultum latrię soli Deo debitum; Sanctis autem non templa, sed Memorias extrui. Audi ipsum loquentem: *Nos martyribus nostris, non templa sicut diis, sed Memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum spiritus viuunt, fabricamus.* Est enim obseruandum ex veterum Patrum orthodoxorum doctrina, templum & Memoriam seu basilicam, non esse synonyma; & licet de eadem domo sæpe dicantur; tamen diuersissimis rationibus dici. Nam sacra ædes propriè templum dicitur, quatenus ad sacrificia peragenda erigitur: eadem sacra ædes Memoria vel basilica dicitur, quatenus ad ornatum sepulchri alicuius Sancti, & visitantium eius reliquias commoditatẽ construitur. Quòd si nonnulli veteres Græci Patres aiunt, templa martyribus fabricari, vel dedicari, vt videre est in Basilio, Nysseno, & aliis: id tamen intelligendum est, ab eis dici hoc sensu, quòd domus illa quæ templum dicitur Martyribus fabricetur: non tamen vt templum ad sacrificia, sed vt basilicam ad ipsorum Sanctorum memoriam cohonestãdam. Falsò ergo nobis tribuis, quòd plura in Sanctorum quàm Dei honorem templa cõstruamus, cùm omnes ædes sacræ, diuis cœlitibus dicatæ, qua templi rationem habent, Deo soli ad sacrificia ipsi offerenda à nobis exædificentur.

Catholici soli Deo pressè loquendo omnia tẽpla erigunt.

lib: 22. Ciuit: ca: 10. Sanctis autem Memorias vel Basilicas.

Erras tertiò, quòd templa modo iam tradito Sanctis

extruere

Nec tamen ideo Creaturas plus quàm Deũ colunt.

extruere & dicare, putes esse cultum eiusmodi quo creaturæ supra Creatorem colantur & honorentur. Pudet me tui, mi Pacate. Non legeras templum Salomonis non solùm erectum fuisse ad sacrificia Deo offerenda, sed etiam ad arcam Domini honorificè conseruandam? quòd legere poteras in primo libro Paralip. vbi Dauid de templo erigendo cogitans dicit ad Nathan: *Vides quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei sub pellibus.* Item: *Cogitaui vt ædificarem domum, in qua requiesceret arca fæderis Domini.* Putasné ideo arcã supra Deum esse honoratam & cultam, quòd eius etiam cõseruandæ & honorandæ causa templum fuerit extructum? Atqui eadem est corporum Sanctorum ratio, quæ ideo in extructis & dicatis Deo templis collocantur, vt ibidem honorificentiùs, tanquam viua quondam Spiritus sancti membra requiescant.

lib: Paral: cap. 17.
lib: Paral: cap: 28.

Vetus mos Ecclesiæ festos dies sãctis dicare.

Erras quartò, quòd nouam fidem esse putes, festa in honorem Sanctorum instituere. Arguit te erroris authoritas Ecclesiæ temporibus Apostolorum vicinæ, quæ in more habuit, Sanctorum hominum memoriam anniuersarijs festis diebus colere & frequentare. Clemens coæuus Apostolorum iubet festa Apostolorum & Martyrum obseruari. Ecclesia Smyrnensis testatur, solemnes celebresq; conuentus in die Passionis S. Martyrum agi solitos, vt sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus excitentur. B. Cyprianus: *Dies*, inquit, *Confessorum quibus excedunt annotate, vt cõmemorationes eorum inter Memorias Martyrum celebrare possimus.* Et alibi ait: *Martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebrari.* Alij quoque vetustissimi Patres, vt Basilius, Nyssenus, Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Prudentius, & plures alij, festorum dierũ in Sanctorum memoriam & honorem institutorum aptissimè meminerunt. Mitto antiquissima Concilia: Laodicenum ante mille ducentos: Carthaginense ante mille centum annos celebrata, quæ de festis Sanctorum diuersas sanctiones ediderunt. Qui quidẽ mos festis eiusmodi Sanctos colen-

lib: 8. constit: c. 39.
Apud Euse: lib: 4. hist: cap: 15.
l. 3. epist: 6.
l. 4. epist. 5.

ctos colendi & venerandi, quod tibi diuinum nescio quid, & soli Deo debitum sapere videtur; hoc ideo fit, quòd veram eius rationem non es assecutus. Quòd enim Iudæis olim licuit, vt festum diem sortium instituerent ad memoriam diuini beneficij per Esther reginam ipsis collati, quando eius apud Assuerum intercessione destinatam internecionem euaserunt: id sibi quoque licere Christiana semper credidit Ecclesia, vt ob beneficium diuinum singulare beatæ sancti alicuius, & præcipuè Martyrũ consummationis, dies festos institueret. *Beneficiorum Dei*, ait August: *solemnitatibus festis, & diebus statutis, dicamus sacramusq; memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio.* Itaq; festa Sanctorum omnia dicantur Deo, sed in Sanctorum memoriam, quemadmodum etiam templa Deo in Sanctorum memoriam sacrari ab Ecclesia consueuerunt. Honor verò, qui ex eiusmodi memoria ad Sanctos peruenit, falsò & imperitè Diuinus appellatur, quamuis sacer & religiosus appellari meritò debeat.

Esther. 9. *li: 10. ciuit: cap: 4.* *Omnia tamen festa sanctorũ dicantur Deo in sanctorũ memoriã.*

Quòd sodalitates in honorem Sanctorum institutas accusas, in eo quoque erras. Multæ enim sunt in Ecclesia sodalitates & congregationes, etiam regulares, in honorẽ Dei ipsius institutæ. Talis est congregatio regularium S. Saluatoris, Militum Christi, Militiæ Iesu Christi, De Pœnitentia Iesu Christi, Collegium Iesu Christi, Sodalitas Boni Iesu, Confraternitas nominis Dei, SS. Trinitatis, Societatis Iesu, quæ tamen tibi homini hæretico non magis placent, quàm quæ sunt sub nominibus Sanctorum institutæ; & satis scio te nulli earum nomen tuum daturum. Neque verò Sancti plusquam Deus ipse coluntur, huiusmodi sodalitatibus, quarum ipsi non dij tutelares, sed vt amici Dei præsides à nobis habentur, vt sodalium sub eorum nomine congregatorum peculiarem suis apud Deum intercessionibus curam gerant; & illis instar Angeli, quem Iacob Patriarcha ad benedicendum Effraim & Manasse inuocabat, ipsi quoque benedicant, & nomen ipsorũ super eos instar no- *Gen: 48.*

minis eiusdem magni Patriarchæ super posteros inuocetur. Quod præterea dicis plus nos in SS. meritis & intercessionibus, quàm Dei gratia & Christi merito confidere, non erras solùm, sed impudenter calumniaris. cuius calumniæ tamdiu teneberis reus, donec hanc esse sententiam Romanæ Ecclesiæ ex classicorum doctorum libris demonstrâris. Denique quod affirmas, nos Sanctos & sanctas sæpiùs inuocare quàm Deum: rudis admodum es Catholicæ disciplinę, & precum Ecclesiæ, in quibus à Deo facto initio, & implorata Sanctorum intercessione tota oratio per IESVM Christum Dominum nostrum concluditur. Nihil ergo egisti hoc tuo syllogismo: neque vllam nouam fidem à veteri Romanæ Ecclesiæ fide alienam apud nos modò reperiri demonstrâsti: Ego verò ex eodem syllogismo sumo occasionem alterum conficiendi, quo vos omnes Euangelicos hæreticos esse demonstrem, in hunc modum:

Euangelicos esse hæreticos. 1. arg.

Vbi ab vna fide veteri Catholica Romana disceditur, ibi non amplius est fides sed hæresis: Sed ab Euangelicis ab vna fide veteri Catholica Romana, in prædictis omnibus rebus ad sanctorum venerationem pertinentibus discessum est: Ergo apud Euangelicos non est amplius fides sed hæresis.

Alter syllogismus tuus est hic:

Fides vetus Catholica dignos iudicabat morte homines pactorũ non tenaces, alienos à caritatis affectu, nescios fœderis Rom: 1. *Fides noua Romana docet contrarium: Ergo fides noua Romana non est vetus Catholica.* Minorem probas: *Neq; enim Concilium Constantiense fidem Husso datam seruauit, imò hæreticis seruandam non esse decreuit; neq; Eugenius Papa Ladislai Regis cum Amurathe Turco fœdus ratum esse iussit: neq; Impacatus Confœderationis pacem iuratam validam esse vult.*

Sed & hoc tuum telum casso & irrito conatu in nos cõiecisti. Quod breuiter ostendo. Asseris Constantiense Cõcilium decreuisse hæreticis non esse seruandam fidem. Falsum. neq; enim in eo Concilio tale decretum, vel vllum apicem, ex quo vel obscurè illud colligere possis, reperies.

Quod

Quod verò obiicis, idem Concilium Constantiense datam Husso fidem non seruâsse: vetus est cantilena vestra, quam repetere vobis volupe est, & auribus Catholicorum inconcinno eius concentu obstrepere. Ego vicissim tibi aliam cantilenam occinam, ad quam quæso purgatas aures arrige. Nego Concilium Constantiense fidem Husso datam violâsse. Id vnico hoc argumento probo. Si enim Concilium illud aliquam Husso fidem datam violâsset, sanè violâsset illam, quam ei Sigismundus Imperator publico saluo conducto dederat, quod tu haud illibenter admittes. Hunc enim saluum conductum Imperatoris violatum esse à Concilio miris modis querimini, & queri non desistitis: atqui saluum conductum Husso ab Imperatore datum non violauit Concilium. Nam Imperator dederat Husso saluũ conductum iure communi. quo nulla alia cauetur securitas cuipiam, quàm contra violentiam iniustam. Nam Iurisconsult: regula est, *Quando datur alicui saluus conductus, vel securitas iure communi, solùm datur contra vim iniustam, non tamẽ contra iuris executionem.* Vnde in omni saluo conducto seu securitate, quæ iure communi data est, exprimi solet vel intelligi debet hæc clausula. *Salua semper iustitia.* Itaq; Sigismundus Imp. dederat Husso eundi Constantiam, & inde redeundi securitatem contra vim iniustam, salua semper iustitia. Hanc autem fidem datam Concilium Husso seruauit. Nihil enim per vim & iniustitiã cum illo egit. At combustus est, inquies, Hussus. Fateor cõbustum esse, sed per vim & iniuriam hoc esse factum pernego. Nam Imperator cùm daret illi saluum conductum, pœna capitis proposita fugã illi prohibuerat; contra quã prohibitionẽ Hussus fuga elapsus, & ex ea paulò pòst retractus, iustè pœna capitis puniri potuit. Adde quòd à fuga retractus noluit hæresim de qua fuerat legitimè conuictus eiurare, quæ res illi perniciẽ attulit. nam propterea legibus imperialibus decretam in pertinaces hæreticos capitis pœnam subire meritò debuit. De fœdere Ladislai Regis est quod tibi respondeam. Si

Concilium Constantiẽse non violauit fidem Husso datã.

Cur Hussus combustus à Concilio Constantiensi.

Vide Herb: l. 15. chron. cap: 12. annales nostros consulamus, inueniemus non defuisse graues rationes Iuliano Cardinali, ob quas pacem cum Turcis, vel decennales potiùs inducias à Ladislao factas rescindendas suaderet.

Cur Iulianus Cardinalis suadebat Ladislao Regi pacem cum Turcis rescindere.

Censebat enim eas inducias fuisse, simulatè temporis causa à Turcis postulatas: cuius rei argumentum erat, quòd lapso tempore promissa hostis non impleret: Præterea nulla per Turcam mora fieret, priora tamen cum Pontifice, Duce Burgundiorum, Venetis & Genuensibus fœdera & societatem pij belli initam, magis valere oportere censebat. Quod si qua religione Rex teneretur, ne iusiurandum barbaris datum violaret, illo se eum metu Pontificis Maximi auctoritate prorsus liberare affirmabat. Hîc si de iure quæratur, indubium est iuramenta iustis & legitimis de causis à Sum. Pontifice solui posse. Qua de re ita S. Thomas dissèrit:

D. Thom: 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3.

Quandoq; aliquid sub iuramento promittitur, de quo dubium est, vtrum sit licitum vel illicitum, proficuum vel nociuum, aut simpliciter, aut in aliquo casu. Et in hoc potest quilibet Episcopus dispensare. Quandoq; verò sub iuramento promittitur aliquid, quod est manifestè licitum & vtile. Et in tali iuramento, non videtur habere locum dispensatio vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad communem vtilitatem faciendum: quod maximè videtur pertinere ad potestatem Papæ, qui habet curam vniuersalis Ecclesiæ: vel etiam absoluta relaxatio, quod etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter, quæ ad dispensationem rerum Ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis. Sicut & ad vnumquemque pertinet irritare iuramentum, quod à sibi subditis factum est, circa ea quæ eius potestati subduntur, sicut pater potest irritare iuramentum puellæ, & vir vxoris, vt dicitur Num: 30.

Iuramenta iustis de causis soluere Pontifex potest.

Si autem factum ipsum in quæstionem vertatur, nemo prudens iudicare ausit in illo euentu iustas causas laxandi Regij iuramenti defuisse. At infelix belli euetus eas defuisse ostendit. Minimè. Nam etiam bellorum iustissimorum, & legitimis ex causis susceptorum, infelicissimus euentus esse solet. Quod si quis omninò contendat in eam iuramenti solutionem perperam esse factam, quid hoc pertinet ad fidem Romanæ Ecclesiæ,

cuius doctrina est, iuramenta iusta & valida esse religiose seruanda; quamuis in eorum solutione & irritatione possit aliquando variis ex causis errari? Deniq; author PACIS NON PACIS immeritò à te accusatur. Qui enim probas pacem confœderationis ita esse in hoc Regno iuratam, vt ad omnes Regni ordines vis eius iuraméti pertineat? Hoc cùm probaueris, causam accusandi iustam habebis eos omnes, qui tale iuramentum violandum censerent. Vides, Pacate, quàm in ventum telum hoc tuum secundum sit coniectum, quod ego in te meliori iure tuosque Euangelicos retorqueo in hunc modum.

Fides vetus Catholica dignos iudicabat morte homines pactorũ non tenaces, & fœderis nescios: Sed fides Euangelica noua, docet contrarium: ergo fides Euangelica non est vetus Romana.

II. probatur Euangelicos esse hæreticos.

Minorem probo. Nam Knoxus Minister Euangelicus in Scotia omnia iuramenta Regibus Catholicis data relaxauit. Nam in libello cui titulus: APPELLATIO AD NOBILITATEM ET POPVLVM SCOTICVM habet hæc verba: *Neq; promissum, neq; iuramẽtum obligare potest populum Christianũ* (id est Lutheranum & Caluinianum) *vt auxilietur & obediat Tyrannis* (hoc est Catholicis principibus) *contra Deum & manifestam eius veritatem* (id est Euangelicam fidem.

Euangelici docent non seruandam Catholicis principibus fidem à subditis Euangelicis.

Quid quòd Lutherani tempore belli Schmalcaldici, quàm plurimis persuadebant illos à fidelitate Imperatori debita liberos & expeditos esse, & ita commentitia hac absolutione miserum populum in extremam perniciem præcipitârunt. Imò hac doctrina impulsi Carolum V. deponere, & subditos omni Sacramento liberare conati sunt. Nam eo ipso anno, quo rebellio diu pressa in apertũ erupit, euulgârunt librum, cuius supra mentionẽ feci hoc titulo: ÆTERNÆ, DIVINÆ, ET SEMPITERNÆ MAIESTATIS DECLARATIO CONTRA CÆSAREM CAROLVM. In quo libro Imperatorem, cui iuramento erant obstricti, omni honore, & potestate imperiali Protestantes priuârũt, & vniuersis insignibus exuerunt. Et quò scelus hoc periurij

Et re ipsa Protestãtes non seruârunt Carolo V.

 & rebel-

& rebellionis aduersum Imperatorem grandius ac memorabilius esset: depositionem Imperatoris, quam nefariè & perfidè machinabantur, Deo vni & trino adscripserunt; quasi ex suo solio hanc aduersus Carolum sententiã dictâsset, ac pronunciâsset: vtq; hæc persuasio rudi vulgo magis instillaretur, Patrem, Filium, & Spiritum S. quasi pro tribunali contra Carolum V. sedentes, in ipso libri frontispicio effigiârunt. Quid quòd Caluinistæ Angli profugam Scotorum Reginam, contra ius gentium, horribili & detestanda perfidia in vincula perpetua coniecerunt? Et vt in pauca rem conferam, quod Buccananus & ipse Euangelicus alicubi scribit, fœderum sanctitatem & iurisiurandi religionem, & pactorum conuentorumque fidem, inter bonos quidem esse firmissima vincula, inter malos verò oblatâ ad fallendum opportunitate, retia: id in Euangelicos potissimùm conuenire, res in Gallia non ita pridem gestæ luculenter ostendunt. Consulat qui volet Gulielmum Rossæũ, qui fusiùs narrat, quomodo Caluinistæ doceant iuramenta Caluinianè, id est fraudulenter, interpretari. Cuius etiam hæc sunt verba: *Caluinistam Catholico fidelem esse, & præstare quod promisit, non est modò improbabile & incredibile, sed vix est possibile, imò simpliciter possibile non est, si verus Caluinista sit, & Caluinianæ doctrinæ principia teneat, & ex disciplina Euangelij Caluiniani actiones suas moderetur, & dirigat*; quod deinceps multis probat.

Nec Angli Scotorũ Reginæ Mariæ

lib: de iusta Reip: Chri: in hæreticos authorit: cap: 10. fol: 687.

Tertius Syllogismus tuus est:

Fides vetus Catholica execrabatur idola, seu simulachra. Rom: 2. *Fides noua Romana ea non execratur. Ergo fides noua Romana non est vetus Catholica. Minor probatione nõ indiget.*

Imò verò indiget, Pacate. Sed à te afferri ea non potest, nec ab vllo hactenus hæretico allata est. Veteres hæretici per contemptum & contumeliam, Sanctorum imagines appellabant idola. Non ita veteres Patres, Origen: & Theodor: qui exponentes illud Exodi 20. *Non facies tibi sculptile*, quod 70. verterunt *idolum*; docent inter imaginem & idolum hoc interesse, quòd imago est vera similitudo, vt cùm pingimus

Imagines sanctorum non sunt idola.

gimus

gimus hominem, equum: Imago enim ab imitando dicta est: idolum autem est falsa similitudo, quæ repræsentat id quod reuera non est; vt cùm gentiles proponebant statuas Veneris, aut Mineruæ; illa signa idola erant, quia repræsentabant deos generis fœminini, quales nec sunt dij, nec esse possunt. Atq; ita nec verè repræsentabant; sed erant falsæ imagines. Id enim quod non est, repræsentari verè non potest. Ex qua verissima Patrum istorum doctrina, intellige, Pacate, Christi & Sanctorum imagines non esse idola; quia non ad naturam Trinitatis vel Angelorum repræsentandam, sed solùm ad eam formam exteriorem, in qua aliquando apparuerunt, vel certè ad proprietates illorum significandas & exprimendas, sunt factæ & accommodatæ. Meritò itaq; septima Synodus œcumenica anathema dixit ijs, qui imagines Sanctorum idola vocare præsumebant. cuius etiam nos vestigijs insistentes, anathema vobis Euangelicis dicimus, & tale contra vos fulmen vibramus; *Can: 5. & 7.*

Qui imagines Christi & Sanctorum, idola vocare audent, ij ex veteris Ecclesiæ Catholicæ sententia sunt anathemate feriendi: sed hodierni Euangelici imagines Christi & Sanctorum, idola vocare audent: Ergo ex veteris Catholicæ Ecclesiæ sententia, sunt anathemate feriendi. *Tertius Syllogismus ad idem institutum.*

Quartus Syllogismus tuus est:

Fides vetus Catholica arbitrabatur hominem iustificari, non ex operibus legis, (ne dum à se confictis) *sed gratis per Dei gratiam, fide iustitiâ imputatâ.* Rom: 30. v. 20. 24. 28. & c. 4. passim. *Vndecies enim ibi imputationis vocabulum in quibusdā Latinis editionibus legitur: Sed fides noua Romana non ita arbitratur: imò sic arbitrantes anathemate ferit: Ergo Romana noua non est fides vetus Catholica. Minorem non negant. &c.*

Non negamus minorem, Pacate, quam tu studiosè probas; sed negamus maiorem, quam tu vt certam & exploratam sine probatione reliquisti. Quæ tamen falsa est & hæretica, & veteri Ecclesiæ Catholicæ Romanæ penitus incognita. Augustinus sine dubio fuit in Ecclesia Catholica Romana, qui tamen

Figmentũ iustitiæ imputatiuæ ignotũ veteri Catholicæ Ecclesiæ. qui tamen figmentum iustitiæ vestræ imputatiuæ, quæ in imputatione iustitiæ Christi consistit, penitus ignorauit: sed eam iustitiam ex Catholicæ Ecclesiæ sensu passim docuit, qua nobis inhærẽte iustificamur & renouamur. *Quid est aliud*, ait, *iustitia cùm in nobis est, quàm interioris hominis pulchritudo?* Et alibi. *Natura cùm à suo conditore iustificatur, à deformi forma formosam transfertur in formam.* Idẽ in lib: de spiritu & litera, quem contra inimicos Christi gratiæ quâ iustificamur conscripsit, nihil aliud ostendit, quàm caritatem in cordibus nostris diffusam per Spiritum S. esse iustitiam nostram, qua iustificamur. Et in Psal: 98. sic scribit. *Quis in nobis fecit iustitiam, nisi qui nos iustificauit? Nos ergo impij, ille iustificator, quando & ipsam iustitiam in nobis fecit, quâ illi placeamus.* Deniq; in tract. in Ioannem hæc habet. *Quid est iustitia Dei & iustitia hominis? Iustitia Dei dicitur, non quâ Deus iustus est, sed quam dat homini Deus, vt iustus sit homo per Deum.* En Augustinus clarissimè docet iustitiam nostram, quâ coram Deo iusti sumus, non esse illam, quâ Christus in seipso iustus est nobis imputatam, vt vos fingitis: sed quam nobis ipse dat, vt coram illo iusti per gratiam ipsius simus. Sed grauissimum longè in hac re est Apostoli testimonium, qui de fide iustificãte veterem Ecclesiam Romanam instruxit, cùm ait: *Sicut per inobedientiam vnius hominis, (id est Adæ) peccatores constituti sunt multi; ita & per vnius obeditionem (id est Christi) iusti constituuntur multi.* Atqui inobedientia Adæ, nõ imputatiuè, sed verè peccatum nobis impressit: ergo etiã, si quid Apostoli similitudo virium habet, obedientia Christi, non imputatiuè, sed verè nobis donum iustitiæ & sanctitatis imprimit; vt non minùs in nobis, quàm peccatum ex Adamo contractum resideat. At inquis, idem Apostolus, in epistola ad Romanos de iustificatione tractans imputationis vocabulo sæpius vtitur. Est ita, Pacate; sed nusquam docet nos iustificari Christi iustitia nobis imputata. Lego quidem in Apostolo illa verba: *Credenti in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam.* Sed non lego imputa-

Epist: 82. ad Consentiũ & lib: 15. de Trin: cap: 8.

Rom: 5. v. 19.

imputari illi Christi iustitiam. Aliud porrò est, fidem quæ in nobis est, imputari nobis ad iustitiam; & aliud, iustitiam Christi quæ contra nos est, imputari nobis ad iustitiam.

Porrò fidem, quæ in nobis est, reputari nobis ad iustitiã, nihil est aliud, quàm fidem hominis quâ in Christum redemptorem credit, acceptari à Deo ad iustitiam, & computari pro iustitiâ. Sicut etiam Apostolus ibidem ait: *Ei qui operatur mercedem imputari:* hoc est pro debito computari. Vtitur enim ibi Apostolus vocabulo Græco λόγιζεσθαι, quod vt obseruat Budæus, est verbum arithmeticum, & computare significat. Quod autem vos inde colligitis iustitiam nostram esse extrinsecam & imputatiuam, non autem internam, & verè nobis inhærentem, turpiter hallucinamini; & à mente Apostoli longissimè receditis. Sicut enim merces (persistam in exemplo Apostoli) quæ computatur & numeratur operario, non per heri imputationẽ vel æstimationem, sed per propriam laboris computationem, rationem, & æstimationem, est merces; ita pariter iustitia à Deo nobis computata, & quasi annumerata, non per solam computantis imputationem, sed per seipsam suamq; intrinsecam rationem, computatur, æstimatur, & reipsa est vera & realis iustitia. Et quemadmodum peccata imputari dicuntur homini in scriptura, v. g. violatio voti dicitur reputari in peccatum, & similiter detentio alienæ mercedis: quæ tamen non sola reputatione, sed etiam in se reuera sunt peccata (nec enim Deus, qui iustè iudicat, in peccatum reputare, & quasi peccatum punire potest opus aliquod, quod verè in se peccati rationẽ non habet) ita etiam fides nostra imputatur nobis ad iustitiam à Deo, quia verè est in se quædam iustitia, & non solùm pro tali merè extrinsecè à Deo æstimatur. Est enim Deus verissimus æstimator ac ponderator omnis iustitiæ & vitij, & æstimat id in homine, quod in eo verè existit, non autem id, quod in eo non est, sed inesse putatur & fingitur. Imputare ergo Deum alicui iustitiam est, Deum æstimare eum esse

Quo sensu fides reputatur homini ad iustitiã.

Rom: 4.

Deut: 23. & 24.

gustinum veteris Catholicæ Romanæ fidei testem, omni exceptione maiorem. *Hoc peccatum, de quo hîc est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est, quandoquidem de concupiscentia carnis dicitur.* Idem alibi disputans contra Pelagianos hæc scribit: *De concupiscentia carnis falli eos credo vel fallere. Hæc etiamsi vocatur peccatum, non vtiq; quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur. Sicut scriptura manus cuiusq; dicitur, quòd manus eam fecerit.* Idem repetit in lib: 1. de nuptijs & concupiscentia, c. 23. & addit posse etiam concupiscentiam dici peccatum, quia est causa peccati. Sicut frigus, inquit, dicitur pigrum, quia facit homines pigros. Fallimini ergo & fallitis, cùm concupiscentiam, veram peccati rationem habere putatis. Qui error vester Catholicæ veteri Ecclesiæ repugnans vel solus hæresis reos vos facit. Hîc itaq; inuerto tuum syllogismum;

lib: 1. Retract: c. 15.

l. 1. con: duas epist: Pelag: c. 10.

Sententia Augustini.

Fides vetus Catholica, concupiscentiam peccatum esse solùm eatenus credidit, quia ex peccato nata est, & ad peccatum inclinat; sed fides Euangelicorũ est alia. Ergo non est fides vetus Catholica.

Quintus syllogismus idẽ probans.

Sextus syllogismus tuus est.

Fides vetus Catholica docebat credentes scire, & certos esse de sua salute. Rom: 8. v. 38. *sed Romanenses noui ex professò statuunt contrarium*, vide Concil: Trid. Ses: 6. c. 9. &c. *Ergo Romanenses noui desciuerunt à fide veteri Catholica*

Imò verò fides vetus Catholica Romana, ab Apostolo Paulo Romanis tradita, docet neminem esse certum de sua salute, nisi forsan expressa & speciali reuelatione de hoc à Deo certior reddatur. Verba Apostoli perspicua sunt. *Tu autem fide stas? noli altum sapere sed time.* Profectò qui timet de salute, certus dici non potest; nam rebus certis nullus metus subesse potest. Quis enim timeat ne fors Christus non sit passus pro nobis? Sed obijcis eundem Paulum ad Rom: dicentem. *Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, poterit nos separare à caritate Dei.* Sed aduertere debuisti Paulum loqui non de quauis certitudine, sed quæ moralis dici solet, quæ signis duntaxat, & coniecturis gignitur. Nam Græcè est πέπεισμαι, id est per-

Rom: 8. v. 38.

id est persuasus sum, seu confido. Quo etiam verbo vtitur idem Apostolus in eadem epistola, cùm dicit: *Certus sum fratres mei, quoniam pleni estis dilectione*: vbi sanè non vult significare se habere certitudinem omnimodam de dilectione Romanorum, sed moralem tantùm persuasionem, quæ haberi potest ex varijs coniecturis, quamuis ea non sit huiusmodi, vt omnem prorsus formidinem excludat. Figmentum igitur hoc vestrum est recens Euangelium, vnumquemq; de salute sua fide diuina certum esse debere. Cuius figmenti gratia hæretici meritò à Concilio Tridentino estis declarati. Idq; nullo negotio probatur hoc syllogismo.

Rom: 15. v. 14.

Figmētum Euāgelicorum de certitudine iustitiæ.

Sextus syllogismus idē confirmās.

Qui negat timendum esse ei de salute, qui fide stat, contradicit Apostolo, & est hæreticus. Euangelici negant timendum esse eis de salute qui fide stant; quia omnes qui fide stant, certos esse de salute debere docent: Ergo Euangelici contradicunt Apostolo, & sunt hæretici.

Septimus tuus syllogismus est.

Fides vetus Romana stabat fide, non gloriabatur aduersus ramos oliuæ, non altum sapiebat sed timebat. Rom: 11. v. 18. 20. *Romana noua non stat fide, sed successione fictitia Petri, eaq; tantùm gloriatur, vt illius solius beneficio in errorem cadere se posse neget. Ergo.*

Hic verò syllogismus multiplici scatet errore, ita vt mihi non à vigilante, sed à dormiente Pacato profectus esse videatur. Errores illius breuibus commonstrabo. Primus est. Successionem Petri in Ecclesia Romana esse fictitiam. Qui non tam est error, quàm impudentissimum mendaciū Pacati. Quæ enim maior excogitari impudentia, quod crassius inueniri mendacium potest; quàm successionem Pontificum in Cathedra Romana Petri, omnium seculorum testimonijs abundè testatam, fictitiam appellare? Alter error est, vel potiùs illustre aliud mendacium, Catholicos gloriari solius successionis Petri beneficio in errorem cadere non posse. Primaria enim causa, cur, si Cathedræ Romanæ Petri adhæreamus, in errorē fidei nos cadere nō posse arbitre-

arbitremur, est oratio Christi, quá aliquãdo pro Petro fudit, ne fides eius adeoq; successorũ eius deficeret. Tertius error est. Successionem Romanorũ Pontificum in sede Petri nõ esse notã fidei Catholicæ. Certè veteres Patres hac nota successionis contra sui temporis hæreticos præscripserunt. Tertul: vetus author: *Apostoli, ait, apud vnaquamq; ciuitatem Ecclesias condiderunt. Ab his autem ciuitatibus seu Ecclesiis ab Apostolis constitutis, traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur.* Et propter hanc causam prouocat ibidem sui temporis hæreticos, vt si ad Ecclesiam pertineant, successionem suam ab Apostolis vsque deductam ostendant. *Edant*, inquit, *origines Ecclesiarum suarum: euoluant ordinem Episcoporum, ita per successiones ab initio decurrentes, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, authorem habuerit & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.* Moxque de Smyrnæorum & Romanorum Ecclesia, quarũ illa ad Ioannẽ, hæc ad Petrum originem suam refert, exemplum subiicit. Pari ratione & Irenæus contra hæreticos disputat: *Habemus*, inquit, *enumerare eos, qui ab Apostolis sunt instituti Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum, vsq; ad nos, qui nihil tale docuerunt.* Et alibi: *Agnitio vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status, in vniuerso mũdo & charactere corporis Christi, secundùm successiones Episcoporum, quibus illi eam quæ in vnoquoque loco est Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsq; ad nos custodita.* Eodem argumento contra Donatistas Optatus est vsus. *Vestræ*, inquit, *cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.* Sic & Epiphanius contra Manichæos omnium Hierosolymorum Episcoporum seriem & successionem producit Porrò cùm aliam successionem Ecclesiarum veteres Patres pro nota veræ Catholicæ fidei passim contra hæreticos allegârunt, tùm potissimùm Romanæ Ecclesiæ successioni id tribuebant. Irenæus Polycarpi auditor, qui Ioanni Apostolo discipulus fuerat, disputans contra Valentinianos, ab Episcoporum successione fidei do-

In lib: de Præscript: Veteres patres successione Rom: Pont: contra hæreticos præscripserunt.

Iren: lib: 3. cap: 3.

li: 4. c. 63.

lib: 2. con: Parmen.

Hæresi 27.

lib: 3 c. 3 ctrinam petendam esse volens ostendere inquit: *Quia omnes Ecclesiarum successiones enumerare longum est, Romanæ Ecclesiæ fidem indicantes confundimus eos, qui seorsim colligunt.* Audis, Pacate, vt ex Romanæ Ecclesiæ & Episcoporum sibi in ea succedentium fide, ipsos fidei hostes hæreticos confundere se posse Irenæus non dubitet. Et iterum: *Quoniam valde longum esset omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ & ab omnibus cognitæ, Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ fidē, per successiones Episcoporū ad nos vsq; peruenietē indicamus.* Moxq; omnes Romanos Episcopos à Petro vsq; ad Eleuteriū tunc Romæ sedentē enumerat, & hanc vocat *plenissimam veræ Ecclesiæ ostensionem.* Deniq; addit: *Ad hanc Ecclesiam, id est Romanam, propter potentiorem principalitatem necesse est omnem cōuenire Ecclesiam, id est eos qui sunt vndiq; fideles.* Similiter Epi-

Hæresi 27 phanius contra Carpocratianos seriem Romanorum Pontificum producit, & addit se id facere, *eò quòd per hos semper quod in fide manifestum & certum est, ostenditur ac declaratur.* Audiamus quoque Doctorem Augustinum, qui contra Donatistas ex Episcopali successione præscribere volens Romanam vrget: *Si ordo,* inquit, *Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs & verè salubriter ab ipso Petro numeramus.* Et alibi aberrātem amicum ad Ecclesiæ gremium reuocans

De vtilit: credendi cap: 17. scribit. *non esse dubitandum in illius Ecclesiæ nos condere gremio, quæ ab Apostolica sede per successiones Episcoporum culmen authoritatis obtinuit, cui nolle primitias dare vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Nota, Pacate. Idem alibi & eandem ob

In Psal: cōtra Partem Donati. causam Donatistas, vt id faciant, monet. *Numerate,* inquit, *ab ipsa Petri sede, & in illo Patrum ordine, quis cui successit videte. Ipsa est petra, quam superbæ non vincunt inferorum portæ.* Deniq; ab hac successione se in Ecclesiæ gremio teneri idem celeberrimus Doctor scribit: *Tenet me,* inquit, *in Ecclesiæ gremio,*

Con: epist: fund: c. 4. *ab ipsa sede Petri, vsq; ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum.* Prætereo alia Patrum antiquissimorum testimonia. Cuius ergo temeritatis est arbitrari fictitium esse, eos qui Romanæ sedis succedētibus sibi Episcopis communione fidei iunguntur,

guntur, ab errore & hæresi esse securos? Quartus error cernitur in eo, quòd Pacatus existimet ista esse pugnantia, stare fide & stare successione Petri: cùm potiùs ideo aliquis stet fide, & certus sit rectam se & Catholicam fidem habere; quia Romanis Pontificibus sibi inuicem post Petrum succedentibus communicat, nec ab eorum doctrina latum vnguem discedit; vt ex tam multorum antiquissimorum Patrum sensu demonstraui. itaq; maior syllogismi Pacati captiosa est. Supponit enim veterem Ecclesiam Romanam ita stetisse fide, vt successione Pontificum Petro succedentium minimè gloriaretur, quod falsum esse ex dictis patet. Illud etiam mihi venit in mentem mirari, quo pacto Pacatus imprudens suo se laqueo induerit. Nam in proximo syllogismo docuit Ecclesiæ Romanæ veteris fideles de sua salute certos fuisse: in hoc autem citat verba Apostoli, quæ certitudinem hanc salutis penitus euertunt. *Tu,* inquit, *fide stas, noli altum sapere, sed time.* quasi diceret: Fides tua non ita est firma, quin ab ea excidere, & consequenter à radice Christo separari possis: at is qui à fide potest excidere, non potest de salute sua certus esse & securus. Dicet Pacatus: Nos quoque qui successione Petri gloriamur, posse à fide excidere. Respondeo non posse, nisi cathedram Petri deseramus. Itaq; multi Catholici possunt à Cathedra Petri auelli, quod si fiat, à fide excident: sed vt Petri Cathedræ auscultantes fidem Catholicam amittant, hoc verò est quod fieri non posse ob firmam & infallibilem Christi promissionem Petro factam affirmamus. Habes responsionem, Pacate, ad tuum ineptum syllogismum: pro quo tibi alium verum firmumque repono.

Vetus Ecclesia Catholica Petri successione gloriabatur, & ea contra quosuis hæreticos præscribebat, vt ostendi: sed Euangelici hodierni Petri successione minimè gloriantur, quin potiùs fictitiam illam vocant: Ergo Euangelici hodierni non sunt vetus illa Ecclesia Catholica, sed potiùs contra illos vt hæreticos optimè à Catholicis Romanis hac successione præscribitur. Septimus Syllogismus idem demonstrans.

Adscri-

li: 4. c. 42. Adſcribam præterea hic in tuam gratiam, Pacate, grauiſſima D. Irenæi verba: *Eis, inquit, qui in Eccleſia ſunt, presbyteris obaudire oportet, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopali ſucceſſione chariſma veritatis certum ſecundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunq; loco colliguntur, ſuſpectos habe, vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes & elatos, & ſibi placentes; aut rurſus vt hypocritas, quæſtus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes. Qui omnes decidunt à veritate.* Huic grauiſſimo Eccleſiæ Doctori, quæſo mi Pacate, morem gere, ſi tibi ſalus tua cordi eſt, & Presbyteris Romanis, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, qui cum Epiſcopali ſucceſſione Chariſma Pueritatis certum ſecundùm placitum Patris acceperunt te adiunge: Lutherum Caluinumque quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ, ſcindentes & elatos atque hypocritas valere iube. Nam quod tibi falsò places de ſcriptura, ex qua te Apoſtolicam fidem haurire Cathedra & Eccleſia Petri relicta putas, facis quod multò ante Donatiſtæ fecerunt, qui ſimiliter ſcripturis gloriabantur; ſed quia Eccleſiæ Catholicæ Romanæ cõmunionem deſeruerant, & hæretici fuerunt, & pro talibus ab omnibus ſunt habiti. Hoc eis obiecit Auguſt: *Vos, inquit, Donatiſtæ, ſolas epiſtolas Apoſtoli ad Romanos, ad Corinth: & Epheſios in lectione retinetis. Nos autem & epiſtolas illas in lectione ac fide, & Eccleſias ipſas in communione retinemus.* In eandem ſententiam Optatus. *Vt quid,* inquit, *audetis epiſtolas ad Corinthios ſcriptas legere, qui Corinthiis communicare noluiſtis? Vt quid ad Galatas, ad Theſſalonicenſes ſcripta recitatis, in quorum communione non eſtis? Cùm hæc omnia ita eſſe conſtet, intelligite vos ab Eccleſia ſancta eſſe conciſos, & nos non eſſe pollutos.* Idem ego tibi Pacate, tuiſque Euangelicis iuſtiſſimè obiicio, vt quid in cœtibus veſtris Epiſtolam Pauli ſcriptam ad Romanos recitatis, in quorum communione non eſtis? Intelligite quæſo vos ab Eccleſia Sancta eſſe conciſos, & nos non eſſe pollutos.

Nota pulcherrima D. Irenæi verba.

Fruſtra Euangelici blandiũtur ſibi de ſcriptura.

lib: de vnitate Eccleſ. cap: 10.

Optat: con: Parmen: lib: 6.

Septimus ſyllogiſmus Pacati eſt.

Fides vetus Catholica poteſtatibus ſuperioribus ſubdita erat, nõ reſiſtebat,

resistebat, tributa præstabat, Regem honorabat, Caligulas, Claudios, Nerones, monstra hominum, Ecclesiæ hostes; at noui Romanenses potestatibus subditi esse nolunt, à tributis immunes esse volunt, Reges non honorant, sed hæreticis & excommunicatis, (etsi nulla sæpè de causa probabili) subditos parere vetant, & à quouis impunè interfici posse statuunt: Ergo noui Romanenses non sunt veri veterum Catholicorum sectatores.

Ad singulas minoris syllogismi tui partes breuiter respondebo. I. pars de subiectione debita potestatibus legitimis falsa omnino est. Docemus enim quemque potestati legitimæ subditum esse debere. Tu, quia contrarium à nobis doceri asseris solùm, non probas: sola inficiatione nuda refutari mereris. Altera pars de tributis similiter falsa est. Nam neminem liberum facimus à tributis Principibus præstandis, nisi quos lex vel diuina vel humana ab eiusmodi onere liberos facit. Sed & tertia pars de Regum honore falsa est. Nam & docemus honorãdos Reges: & honorem ipsis debitum libenter præstamus. Quarta pars de non parendo hæreticis & excommunicatis similiter falsa est. Neque enim Catholici docent, Principibus hæreticis & excommunicatis, non esse hoc ipso, ob solam hæresim & excommunicationem à subditis parendum; sed si præterea per sententiam Romani Pontificis expressè ab eorum obedientia eximantur. Quod an iure & rectè à Pontificibus fieri possit, non est hìc locus disputandi. Vltima etiam pars mendacio crassissimo, & toties à Catholicis refutato, non caret. Vides, Pacate, te non argumentari, sed mẽtiri & calumniari. Accipe tu quoq; à me hunc syllogismũ.

Mendacia Pacati. 1. 2. 3. 4. 5.

Fideles veteres Catholici potestatibus superioribus subditi erãt; sed noui Euangelici potestatibus superioribus nolunt subdi: Ergo non sunt ex numero & Ecclesia veterum fidelium Catholicorum.

8. probatur Euangelicos esse hæreticos.

Minorem probo. *Nam nolunt subdi Catholicis Episcopis, & præcipuè Romano Pontifici, quem vniuersi fideles veteris Catholicæ Ecclesiæ pro vniuersali pastore semper agnoscebant.*

Accipe & alterum;

Nono. *Qui docent, Reges & Principes legitimos manifestam hæresim tolerare nolentes, esse depositos, vel deponendos, & impunè occidendos; desciscunt à fide veteris Ecclesiæ Catholicæ: sed Euangelici docent Reges & Principes legitimos, Lutheranam, Caluinianam, Anabaptisticam, hæreses manifestas tolerare in suis regnis nolentes, esse depositos, vel deponendos, & impunè occidendos: Ergo Euangelici desciuerunt à fide veteris Ecclesiæ Catholicæ.*

Caluinus docet Reges Catholicos esse depositos.

Minorem huius syllogismi probo quoad singulas partes. Quoad primam. Manifesta enim sunt Caluini verba: *Abdicant se potestate terreni Reges, dum insurgunt contra Deum* (intellige dum Caluinismo resistunt) *imò indigni sunt, qui censeantur in hominum numero. Potiùs ergo conspuere oportet in illorum capita, quàm illis parere, vbi sic proteruiunt, vt Deum velint spoliare iure suo.* Nec dissentit Stephanus Iunius Brutus Caluinista, in lib. cui titulus: VINDICIÆ CONTRA TYRANNOS. *Rex,* inquit, *si Deum negligat, si ad eius hostes trãsfugiat.* (id est Catholicos) *si Felloniam aduersus Deum committat, & ipso iure Regnum & facto plerumq; amittit.* Quoad alteram etiam partem probatur eadem assumptio præcipuorum Euangelicorum confessione. Zuinglius Caluinistarum Patriarcha in explanatione articulorum suorum sic loquitur: *Quando Principes perfidè & extra Christi regulam egerint, possunt cum Deo deponi.* Declarat ibidem quando Princeps ipsius iudicio extra regulam Christi agat: *Cùm,* inquit, *in manifestè impios non animaduertit, extra regulam Christi ambulat: magis cùm sceleratos prouehit, & innoxios prægrauat; vt cùm inutiles ventres, otiosos sacrificos &c. defendit.* Ibidem. *Quòd Reges deponi possint, Saulis exemplum manifestè docet.* Buchananus Caluinista Serenissimi Iacobi Regis Angliæ præceptor, in historia Scotica de Caluinianis prædicantibus agens, *Ecclesiæ,* inquit, *Ministri in sententia superioribus temporibus approbata cõstanter permanserunt: posse videlicet Magistratum sub leges vi cogi.* Repete, quæ paulò antè dixi ad syllogismum tuum secundum de Protestantibus Principibus; qui Carolum V. Imperatorem quãtum in ipsis erat potestate imperiali priuârunt. Tertia denique assumptionis

Artic: 41. Euangelici docent Reges Catholicos à subditis posse deponi.

ptionis pars est apertissima vestrorum Ministrorum doctrina. Aliquorum ex illis verba retuli suprà; ad ea te remitto. Addo alia aliorum Ministrorũ decreta. Ministri Scotici ediderunt libellum quendam vernacula lingua quem Latinum fecit Vincetus Albus Scotus; in quo inter alia scripserunt, omnes Principes idololatras (sic Catholicos vocant) æquissimè à populo deponi posse & castigari. Sed & Ministri Geneuenses, & Hugonotarum fratrum suorum, qui contra Reges suos legitimos arma impia tulerant, causam toti mundo probarent, ediderunt librum, cuius hoc quoq; fuit caput. *Regi manifesto tyranno opponere se debet inferior magistratus, armis etiam si opus est adhibitis:* Et is, cuius mentionem feci, Buchananus edidit libellum seditiosissimum; in quo docet, quæ causæ esse possint, vt Reges & Principes Catholici à suis subditis loco moueãtur; in carceres cõpingantur, & mactentur. Dauid Paræus Caluinista in caput 13. epist: ad Rom: conatur multis argumẽtis persuadere, licere Euangelicis suos Reges & Principes Catholicos deponere, expellere, & interficere: & assignat casus quando id liceat. 1. quando subditos cogunt ad idololatriam, id est ad Romanam religionem, vt ipse intelligit. 2. quando grauant conscientias subditorum. 3. quando Pontifici Romano adhærent. Ibidem ait. *Subditi aduersus superiorem Magistratum se & veram religionem etiam armis iure defendere possunt, si aliter in conscientia incolumes esse non queant.* Ex quo infertur Caluinistas, si Magistratum habeant Catholicum, à quo in religione dissentiant, posse contra illum armis agere, & suam conscientiam vi defendere. Videant ergo Principes Catholici, quid ab Euangelicis subditis meritò timere debeant. Brederodius quidam Caluinista in famoso libello, quem inscripsit, FOEDERATORVM INFERIORIS GERMANIÆ DEFENSIO TERTIA, habet hæc verba: *An non potiùs Regem Hispaniæ, quia hæreticus notorius est, ex suo Regno omnium Euangelicorum viribus expellere oportet?* Ita iste nebulo Hispaniæ Regem Catholicum notorium hære-

Supra c. 10.

Item docet licere Regibus rebellare, & armis eos compescere, & occidere.

ticum vocat; & contra eum arma Euangelicorum commouet. Quare ex eiusdem sententia omnes alij Reges, & Principes, qui eandem cum Hispaniarum Rege fidem profitentur, hæretici notorij sunt; & è suis Regnis omnium Euangelicorum viribus possunt expelli. Quis ergo Principum Catholicorum ab Euangelicis tutus erit & securus? Hæc non scriberem, Pacate, quia vos in inuidiam vocari nollem; sed importunitas tua, & calumniãdi Catholicos libido, me ad id vel inuitum impulit. Tibi id totũ imputa: mihi parce, qui Catholicos defendere nequeo nisi vos feriam.

Restat vltimus syllogismus tuus qui talis est;

Fides vetus Catholica omne quod non est ex fide peccatum esse ait, Rom: 14. ℣. vlt. *Sed noui Romanenses illud negant; Ergo negant fidem veterem Catholicam. Minor patet inde. 1. Quia anathema dicunt illi, qui dixerit opera omnia quæ ante iustificationem fiunt, quacunq; ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri. 2. quia multa ipsi opera, quæ tamen meritoria esse volunt, sine fide faciunt, id est sine Dei verbo, cui tanquam fundamento fides innititur.*

Explicãtur verba Apostoli; quod non est ex fide peccatũ est

Totus iste syllogismus extructus est super verbis Apostoli: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quæ quidem verba tu cum tuis Euangelicis intelligis de fide Christiana iustificante: at longè alia est Pauli sententia, qui nomine fidei hoc loco intelligit dictamen conscientiæ, siue persuasioné & credulitatem, qua quis iuxta regulas fidei, & prudentiæ, credit se aliquid bene vel malè agere. Quod enim non est secundùm hanc credulitatem, id est, quod est contra conscientiam, peccatum est. Et hanc esse mentem S. Pauli patet ex eius discursu. Loquitur enim eo loco infirmis, id est errantibus & scrupulosis, qui ex errore conscientiæ putabant sibi non licere vesci cibis lege vetitis. His itaq; ait; Qui discernit cibum hunc, quasi illicitum ab alio licito, si manducat id quod discernit illicitum, damnatus est; quia non ex fide, id est, quia non ex credulitate, quòd id liceat; sed contra conscientiæ dictamen manducat. Atq; in hunc modum

Aposto-

Apoſtolum, S. Chryſoſt: Theodoret: Ambr: Theophyl: Oecumenius, ſunt interpretati. Qua interpretatione maiori tui ſyllogiſmi adhibita, reliqua omnia quæ ſubſumis per ſe ruunt.

Deniq; concludens ſyllogiſmos tuos ſcribis. *Hæc nunc ſatis erunt; poſthac ſi nos hæreticos dicere perrexeris, eodem id iure facies, quo Iudæi doctrinam Chriſti hæreſim vocabant.* Act: 14. ℣. 5. 14. & c. 28. v. 22. Non eodem quo Iudæi iure Euangelium veſtrum hæreſim vocamus; ſed eodem, quo vetus Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia, Arianos, Neſtorianos, Macedonianos, & alios hæreticos vocabat; & eorum doctrinã pro certa & explorata hæreſi habebat. Obijcis præterea nos lectionem noui teſtamenti in lingua vernacula inter grauiſſima crimina numerare. Miror qua conſcientia tam pudendo mendacio chartas tuas polluere auſus ſis. Quæſo, Pacate, in quonam authore Catholico legeris, lectioné noui teſtamenti in linguam vernaculam conuerſi, nos inter grauiſſima crimina numerare? Mentiri fraudulenter, & pernicioſè; id verò inter grauia crimina numeramus. Sed legere nouum teſtamentum in vernaculam linguam conuerſum pro peccato non habemus. Cur enim ſcripturam Sacram vniuerſam in vernaculam linguam, maximis & laboribus, & ſumptibus verteremus, ſi grauiſſimi criminis loco duceremus, eandem ita conuerſam legere? Niſi fortè Biblia Polonica, opera & ſtudio bonæ memoriæ R. P. Iacobi Wuieci Doctoris Theol: Societ: IESV nunquam aſpexeris. Quæ ſi aſpexiſti, manifeſti mendacij reus teneris, dum nobis impingis id, quod conſcientia tua reclamante nunquam probare poteris. Quod Catholici docemus, hoc ſolum eſt; non debere publicè in Eccleſia legi ſcripturas lingua vernacula; nec paſſim omnibus legendas permitti. quæ etiam olim fuit grauiſſimorum Patrum ſententia: qui non iudicabant expedire, vt omnes homines ſine delectu ſcripturas tractarent. Refert Theodoretus, cùm præfectus culinæ Valentis Imperatoris neſcio quid de ſcripturis protuliſſet, eum à Baſi-

Mentitur Pacatus lectionem bibliorũ vulgari lingua à Catholicis pro grauiſſimo peccato haberi.

Non ab omnibus paſſim Biblia tractanda.

lib: 4. hiſt: cap: 17.

CAPVT XIV.

Crimen blasphemiæ rectè Euangelicis obijci.

IN crimine hæreseos, ex quo te maximè, Pacate, cupiebas extricare, hæsisti. Videbo iam quomodo te & tuos à blasphemia velis expedire. *De blasphemia idem,* ais, *quod de hæresi ostendo, & breuiùs, ac faciliùs.* Res ipsa docebit quàm facilè te ab hoc crimine expedias. *Si fides,* inquis, *nostra non est hæretica, ergo nec blasphema: antecedens modò verum probaui: verum igitur erit & consequens.* Hocné est facilè demonstrare, te tuosq; blasphemos non esse? Mihi videris non te ex isto laqueo expedijsse, sed potiùs esse illo implicitus. Inuerto enim facilè tuum syllogismum. Si fides vestra est hæretica, ergo & blasphema: Antecedens iam verum probaui, verũ igitur est & consequens. Pergis; *Quod à nobis blasphemias doceri ais, partim per calumniam facis, partim blasphemiam vocas, quæ non est.* Imò verò, Pacate, quòd à vobis blasphemias doceri author PACIS NON PACIS asseruit; nec per calumniã fecit, nec blasphemiam eam quæ non est vocauit. *Calumniæ sunt,* inquis, *cùm nos credere fingis Deum esse authorem peccati, Christum esse purum hominem, Deum metaphoricum, semideum.* Non sunt hæ calumniæ, sed obiecta verissima. Deum esse auctorem peccati docuit Lutherus Euangelicorum parens, cùm alicubi dixit, neminem habere in potestate, vt cogitet bonum vel malum. Clariùs Philippus Melanchthon itẽ Euãgelicus Patriarcha, cùm ait: *sic esse opus Dei Dauidis adulterium, & Iudæ proditionem, vt Pauli vocationem.* Clarissimè Zuinglius vnus ex proceribus Euangelicis, cùm ait; *Numen ipsum author est eius; quod in nobis est iniustitia.* Et infrà; *Deus Angelum transgressorem facit, & hominem.* Et iterum: *adulterium, homicidium, Dei est authoris, motoris, impulsoris opus.* Nec minus clarè Caluinus, Deus bone qui vir & quantus in castris Euangelicis! Audi eius effata Euangelica. *Quicquid agitent*

Euangelici docent Deũ esse auctorẽ peccati.

Luth: in assert: art: 36.

Philip: in cap: 8. ad Romanos.

Zuingl: in serm de prouidentia.

lib: 1. inst: c. 18. §. 1.

gitent homines, vel Sathan ipse, Deus clauum tenet. & loquitur de prædatione bonorum Iob per latrones Sabæos facta. *Dei impulsu Sathan opus suum agit.* Iterum; *Homo Dei impulsu agit, quod non licet.* Et clarissimè; *Deus est author eorum, quæ Catholici docent fieri eius permissu.* Porrò alibi concedit: *ex Dei ordinatione iniici hominibus peccandi necessitatem.* Addit; *non sola Dei permissione, sed & ordinatione, Adamum perijsse.* Ait etiam, *nos nõ posse capere, quomodo Deus vult fieri peccata, quæ prohibet.* Deniq; docet, *idẽ facinus tribui Deo, & Sathanæ, vt authoribus; sed alio fine.* Nec diffitentur Caluinistæ hanc fuisse Caluini sententiam, vt de Paræo primario Caluinista scribit Martin. Becanus in opusc: DE DIFFERENTIA INTER CALVINISTAS PELAGIANOS ET CATHOLICOS IN NEGOTIO PRAEDESTINATIONIS. Quo nomine etiam mirè exagitauit Caluinum Castalio, & ipse Euãgelicus. Nam placita Caluini de prædestinatione ita confutauit, vt ostenderit, eum deiecto vero Deo, in thronum eius falsum Deum, id est Sathanam extulisse. Audiamus quoq; Bezam successorem Caluini in Cathedra pestilentiæ & eius dogmatum defensorem. *Deus,* inquit, *agit per mala instrumenta, vt non tantùm sinat illa agere, nec tantùm moderetur euentum; sed etiam excitet, impellat, moueat, regat.*

Ibid. §. 2. Ib. §. 4. Ib. §. 3. lib: 3. inst: c. 23. §. 9. lib: 1. inst: c. 18. §. 3. lib: 2. inst: c. 4. §. 2.

In lib: de prædest: ad Caluinist.

In resp: ad Sebast: Castallionem.

Negabis hos esse Euangelicos, Pacate? Non existimo te tam effrontem futurum, vel tam ingratum, vt parentes tuos non agnoscas. Excipies, hanc non esse omnium Euãgelicorum sententiam, sed ad rem propositam satis est, esse Primatum vestrorum & Coryphæorum, qui vobis lucem Euangelij noui attulerunt; à quorum doctrina si disceditis, progenitores vestros manifestæ blasphemiæ & hæreseos condemnatis. Quibus si in hoc articulo fidem non adhibetis, cur in alijs non minùs falsis & perniciosis, eorum sententiæ adhæretis? Num quòd illam blasphemiam nullis scripturæ testimonijs confirment? At congerit Caluinus, & alij, plurima. Num, quòd eos falsis interpretationibus deprauare scripturam putatis? At eiusdem deprauationis

meritò

meritò vobis alibi quoq; debent esse suspecti. Si enim in hac materia Spiritu Dei exponente eis scripturas caruerũt; quis vos certiores reddet, non fuisse quoq; dum alia dogmata tractarent eodem spiritu destitutos? An quia vos rectiùs de scripturæ sensu iudicium ferre potestis? Sed hãc puto laudem vobis, si viuerent, Caluinus & alij prædicti, non concederent. An quia nullius estis addicti iurare in verba Magistri? Illud est. Hoc enim proprium est hæreticorum, proprio niti iudicio, & propriæ sententiæ acquiescere.

Sed neque per calumniam obiicitur Euãgelicis, quòd Christum purum hominem, Deum metaphoricum, & semideum esse blasphement. Hæc enim sunt placita Anabaptistarum seu nouorum Arianorum, vt videre potes in libello Martini Smiglecij NOVA MONSTRA NOVI ARIANISMI inscripto. Esse autem Anabaptistas Euangelicos negare, Pacate, non potes. Fratres vestri sunt, eodemq; parente Luthero prognati, & eodem iure, quo vos, Euangelium sibi vendicant: & æquè arbitratu suo, vt & vos, spreta Ecclesiæ Catholicæ authoritate Euangelium exponunt, & ad impia sua placita detorquent. Iam quod ais *nescire te cur illi blasphemi sint, qui Sacramentum Eucharistiæ Deum panaceum vocitârunt.* Scito blasphemos esse illos, qui Deo id, quod ei minimè conuenit, contumeliosè attribuũt: atqui Christo Domino & Deo nostro, verè & realiter in Sacramento Eucharistiæ, etiam extra vsum existenti, minimè conuenit esse Deum panaceum: blasphemi ergo sunt illi, quicunq; illum per contumeliam Deum panaceum vocitant. Sed argumentaris. *Si panis ille Deus non est, pro Deo tamen apud vos colitur, sicut à ligno, lapide, argento, auro, dij denominantur lignei, lapidei, argentei, aurei, cur & non & vester ille Deus Maozim à pane denominabitur panaceus.* Cum laruis pugnas. Quis Catholicorum dixit, panem apud nos pro Deo coli? Vestri hæretici capitis hoc est commentum, Eucharistiam esse merum pistorium panem. Nos enim panis substantiam in

Anabaptistæ fratres Euangelicorum.

Euangelici blasphemè Christum Deũ panaceũ vocant.

hoc Sacramento peracta ritè consecratione negamus remanere. Non ergo panem pro Deo colimus; sed Christo Deo nostro sub panis speciebus præsenti, diuinum cultum & venerationē exhibemus. Quod nos rectè facere vel ipse Beza fatetur. Nam is in Apologia ad acta Conuentus Tergensis, apertè scribit adorationem Sacramenti necessariò sequi, ex consubstantiatione (vt ipse loquitur) hoc est ex reali præsentia corporis & sanguinis Christi, sub, in, & cum pane, & vino, qualem consubstantiationem Lutherani fingunt. Quanto ergo magis eam sequi admittet ex transubstantiatione, quā Catholica agnoscit Ecclesia? Et subdit Beza: *Illud enim, quod dicunt non esse vsurpandum cultum extra Dei verbū, verè dicitur, sed minimè appositè. Quis enim dixerit Christi adorationē esse ἐθελοθρησκείαν? Neq; valet hæc exceptio nō iussisse Dominum corpus suum in pane adorari, sed accipi & comedi. Regeritur enim exprimi non oportuisse, quod satis per se intelligatur; nempe nunquam accedendum esse ad Christum reipsa præsentem sine adoratione, vt qui sit Deus.* Hæc Beza. Cuius sententia quoad hoc probatur, quòd existimet, si Christus in hoc Sacramento præsens creditur, meritò illum, non panem, coli & adorari. Blasphemia itaque horrenda, & auribus Christianis non ferenda est, Christum Dominum verè & realiter in Eucharistia præsentem Deum panaceum vocare. Æqualis illa tua altera vel dicam veriùs longè tetrior & horribilior, eundem Christum Dominum speciebus Eucharistiæ occultatum, Deum Maozim appellare, hoc est Diabolum illum, quem Antichristus occultè more aliorum magorum colet, & cuius ope multa mirabilia patrabit. Quem ideo Daniel Maozim vocat, quòd eum in loco quodam munitissimo & secreto, in quo præcipuos thesauros suos recondet, Antichristus venerabitur. quem etiam locum Maozim firmis præsidiis communiet, vt Daniel ibidem ait.

Beza fatetur ex consubstātiatione necessariò sequi adorationem Christi in Eucharistia

Daniel. 11. v. 38. Horrenda blasphemia Pacati Eucharistiam esse Deum Maozim. v. 39.

Pergis. *Horrendam & hanc in Deum blasphemiam vocas, cùm Christi & sanctorum imagines idola appellamus.* Quid ni, Pacate, vocetur hæc in Deum horrenda blasphemia? *De sanctis*

miror.

miror quod ais. Quæ causa admirationis? *num,* inquis, *sancti dij aliqui reuera sunt? Ita sanè velle videris, cùm iniuriam, vt, vis imaginibus sanctorum factam, blasphemiam in Deum vocas. Increpet te Deus.* Zelum Dei habes vt video, Pacate, sed non secundùm scientiam. Vnde quæso colligis, nos pro diis aliquibus sanctos habere & venerari? An quia contumeliam ipsis verbo irrogatam blasphemiam in Deum vocemus? Hæc collectio digna est ingenio Euangelico, omnis veræ Theologiæ rudi & ignaro. Non ita clarissimum illud Theologorum lumen D. Thomas, cuius hæc sunt verba: *Sicut Deus in sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera quæ Deus in sanctis efficit: ita & blasphemia, quæ fit in sanctos, ex consequenti in Deum redundat.* Vides homo imperitissime, ex eo quòd iniuria sanctorum imaginibus facta blasphemia in Deũ vocetur, non inferri sanctos esse reuera deos aliquos, sed solùm iniuriam ipsis irrogatam in Deum redundare? Sed quæro ex te, cur tibi imago Christi Domini idolum esse videatur, quãué huic tam impiæ blasphemiæ rationem prætexas? *Quia,* inquis, *εἴδωλον tum ex vocis ethymologia, tum Cicer. authore & interprete, est imago.* Itané verò? Scripturæ & sanctorum Patrum authoritate repudiata, ad grammaticorum ethymologiam, & Cicer: testimonium confugis? Legistiné vnquam in scriptura nomen idoli vlli veræ imagini esse tributum, ac non potiùs solis gentium simulachris quæ deos falsos referebant? Sanè si quæuis imago est idolum, Filius Dei qui est imago Patris, idolum vocari poterit. Salomon quoq; qui ad ornatum templi fecisse legitur imagines Cherubim ad similitudinem hominum; item imagines leonũ, boum, palmarum, malogranatorum. Horũ idola in templo collocasse dici poterit. At quæ esset hæc impudentia? Apostolus Paulus satis apertè docuit idolum non esse quãuis imaginem, sed solùm falsam. Nam ideo dicit idolum nihil esse in mundo; quia licet sit aliquid secundùm materiam, tamen nihil est quoad repræsentationem. quia id quod repræsentat, nihil est: & proinde non repræsentat, & ex

2.2. q. 13. a. 1. ad 2.

In sanctos quoq; committitur blasphemia.

Non quæuis imago est idolum.

Probatur id ex scriptura.

1. Cor: 8.

consequenti nihil est. Obseruârunt autem viri doctissimi alludere Apostolum ad Hebræum vocabulum *Elil*. Dicitur enim ab Hebræis idolum *Elil*, quasi vanitas, res vana, inanis. Similiter Græcis priscis idolum erat imago quæuis inanis & mendax, qualia sunt vana phantasmata, spectra, vmbræ mortuorum. Id patet ex Platone in Theæteto, ex Luciano in dialogo de mortuis, ex Homero Odissea 11. & Eustathio in illum locum. Quare meritò Sacra scriptura, & scriptores Ecclesiastici, nomen idoli arctârunt ad imaginê Dei, qui habetur deus, & reuera non est. Falluntur ergo, & fallunt, Henricus Stephanus, & Ioannes Scapula lexicographi, in suis lexicis asserentes, idolum apud scriptores Ecclesiasticos vocari omne simulachrum numen aliquod repræsentans, quod honore & cultu dignamur. Non enim omne simulacrum, vel imago numinis cuiuslibet est idolum, sed tantùm numinis falsi. Quæ sententia est D. Cypriani, Tertul: Athanas: & aliorum. Hæc si sciuisses, Pacate; non tam liberè effutisses illa: *Inter idolum & imaginem scio vos distinguere, sed futiliter admodum.* Estné futilis distinctio, quæ & scripturarum, & doctissimorum hominum, non Christianorum modò, sed etiam Ethnicorum, & quidem Græcorũ authoritate comprobatur? Quin tu potiùs futilis es, & futiliter admodum solidam Ecclesiæ doctrinam impugnas. Increpet te Deus vt ab errore aliquando resipiscas. Sed scripturam video contra. *Deus*, ais, *Exod: 20. v. 4. & Deut: 5. v. 8. omnem similitudinem* (ita authenticata & canonisata vestra versio habet) *eorum quæ sunt in cœlo, terra, aquis, coli & adorari vetat. Si omnem ergo & Christi, multoq; magis Sanctorum.* Occidit miseros crambe repetita magistros. Toties crambem istam ingeritis in os vestrum, & egeritis. Cur ad solutiones Catholicorum millies vobis iam inculcatas animum non aduertitis, sed sine sensu scripturam crepatis, existimantes idem esse scripturæ verba, contra nos proferre & vincere. Dudũ Catholici vobis responderunt non esse præcepto Dei quasuis imagines & similitudines prohibitas: nam qua ratione

It ex veteribus Græcis ethnicis.

Cypr: exhortat Martyr: c. 1. Tert: li: de idololatr. Athanas: orat: con: idola.

tione Deus ipſe fieri iuſſiſſet imagines Cherubim ſuper arcam; ſerpentem quoq; æneum; & alias plures huius generis, ſi Decalogo voluit omnes imagines, prorſus vetare & abolere? Vetuit ergo illas ſolùm imagines quæ pro dijs haberentur, vel quæ tanquam Deum id, quod Deus non eſt, repræſentarent. Cùm enim dixit: *Non habebis Deos alienos*: omnem actum interiorem idololatriæ prohibuit; cùm verò addidit, *non facies tibi ſculptile, &c.* actum quemuis exteriorem eiuſdem idololatriæ vetuit. Alioquin ſi omnẽ prorſus imaginem Deus in Decalogo prohibuiſſet, non decem, ſed vndecim vel duodecim Decalogi præcepta numerare oporteret.

Exod: 25. Num: 21. Quo ſenſu Deus vetuit fieri imagines & ſimilitudines.

Hæc fuſiùs à doctiſſimo Cardin: Bellarmino probata & explicata legere debueras, & aliquid noui in contrarium adferre. Sed aquam citiùs è pumice quis exprimat, quàm ex vobis ſolidam reſponſionum Catholicarum refutationẽ audiat. Sufficit vobis repetere illud diaboli; *Scriptum eſt*: Sufficit argumenta leuia & futilia, & dudum à nobis exploſa chartis veſtris illinere. Qualia etiam ſunt illa tua; primum; *Non fit hîc vlla Chiſto iniuria; quin potiùs honor eius aſſeritur, dum ipſi ſoli eum ſolidum deferendum docemus & credimus.* Sed duplex à vobis Chriſto fit iniuria. Vna, quòd eius imagines impiè vocetis idola: altera, quòd eaſdem imagines veneratione digniſſimas indigniſſimè tractetis, & tractandas doceatis. Deferendus quidem eſt honor ſoli Chriſto; ſed diuinus, & qui cum vlla creatura communicari non poteſt: ſed alius inferior, ſacer tamen & religioſus, imagini quoq; eius impertiendus eſt. Qua ratione Deus, qui cultum adorationis diuinæ ſibi ſoli in ſolidum toties in ſcriptura vendicat; nihilominus per Dauidem, ſcabellum pedum ſuorũ, id eſt Arcam iubet adorari. *Adorate*, inquit, *ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt*. Alterum; *non video qua ratione Chriſti, & Sanctorum imagines ſanctas dicatis. An quia ſanctas perſonas repræſentant? Damnatæ igitur diaboli & Iudæ imagines; quas tamẽ in templis veſtris, non ſemel depictas videre eſt: damnandiq; vos, qui*

lib: 2. de imag: c. 7. Refellũtur ratiunculæ Pacati contra imagines. Prima. Pſal: 98. Secunda.

damnatas imagines in loco sacro statuitis & pingitis spectandasq́; exhibetis. An quia in loco sancto statuuntur? Sanctus igitur posthac diabolus & Iudas quoq; erit. Vnde huic Euangelico asino tantum ingenij? Quod non videas, Pacate; qua ratione Christi & Sanctorum imagines sanctas dicamus, non mirum est. Cæcus enim es, & in media Euangelij tui luce nihil vides. Vel certè impostor es, qui quamuis rectè videas, videre te tamen vt fallas dissimules. Nostiné qua ratione Arca testamenti sancta in scriptura vocetur? qua ratione item locus ille, in quo Deus in rubo Mosi se conspiciendum forma visibili obiecit, appelletur Sanctus? Nam quo pacto id ignores, qui in scripturis versatissimus videri velis? Sicut igitur hæc sancta vocantur propter respectum & relationem ad res sanctas; ita etiam imagines Christi, & sanctorum, sanctæ ob eandem causam dicuntur: nimirum quia ad Christum & sanctos eius signi repræsentantis respectum & relationem habent, vel vt tuis verbis vtar, quia sanctas personas repræsentant. Quod autem nugaris de imaginibus Diaboli & Iudæ, quas in templis nostris depingimus, puerile & scriptore Euangelico indignum est. Quasi verò in loco sacro depingi non possint imagines nō sacræ. Quæro ex te, Pacate, num in vestris profanis ædibus in quibus conuenitis, verba illa S. Petri inscribere liceat? *Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit. &c.* Si licet, damnandi estis, qui damnati diaboli signum (vox enim diabolus signum diaboli vocale est) in loco, quem pro sacro habetis, spectandum & legendum exhibetis. Quod si hæc iusta non videtur esse causa damnationis vestræ, cur nos damnandi, qui diaboli imaginem, quæ signum quoddam eius est, non ad venerationem & cultum, sed ad expressionem sacræ alicuius historiæ, in templis nostris pingimus, & spectandam populo exhibemus? Eadem enim est ratio imaginum, quæ verborum: nam sicut res gesta verbis, ita & picturis oculis & animis hominum cognoscenda proponitur.

Exod. 3.

Cur imagines sint sanctæ.

1. Petr. 5.

Cur dæmones in templis pingantur.

Pergis;

Pergis; *ne erres mi homo.* Habeo gratiam, quòd authorem, contra quem scribis, tam humaniter tractes; & in spiritu lenitatis, vt Euangelicum decet, instituas. Arrigo ego quoque aurem; vt intelligam, quo pacto errorem nostrum in colendis imaginibus detegas. *Quæcunq; signato competunt non statim ipsi signo; nec quæ signo fiunt, statim ipsi signato. Christus Deus est & homo; imago non item; Christus adorandus, imago non item.* Putabas hæc authori ignota fuisse; & à te primùm hanc distinctionem inter signatum & signum discere illũ debuisse? Nunquam ille in eo errauit, vt quæcunque signato competunt, ipsi quoque signo competere existimaret: sed tu in eo turpiter erras, quòd honorem qui competit signato, aliqua etiam ratione signo competere; & vicissim quæ in contumeliam fiunt signo, fieri quoque ipsi signato neges. Terreno Regi honor regius competit, audebisné inficiari, honorem quoque suum imagini Regis esse tribuendum? At te communis omnium gentium consensus refutabit. Negabisné etiã, iniuriam & contumeliam quæ infertur imagini, in ipsum prototypum redundare? Non legisti sæpiùs imagines Imperatorum, in eorum contumeliam & dedecus esse deiectas, vel atris coloribus fœdatas, & per ludibrium per publicas vias tractas? Euolue, si placet, Eusebium & Suetonium. Adi quoq; Theodoretum. In eo leges Theodosium, optimum alioqui & sapientissimum Imperatorem, Antiochenis ob deiectam vxoris eius imaginem adeò iratum, vt parum abfuerit quin totam Antiochiam euerterit. Vellem tunc orator pro Antiochenis fuisses. Placasses sine dubio Imperatorem, vel ea sola ratione, quòd non quæcunq; in imaginem committuntur, in contumeliam Imperatoris redundare existimari debeant. Sed ais; *fulmine nonnunquam imagines feriuntur & euertuntur, Deo videlicet, & Christo ipso, zelatore cultum illum vestrum abominante, & tollendum innuente & monstrante.* Malus es interpres diuinæ mentis, vtpote nec propheta, nec filius prophetæ. Si vestra aliqua synagoga fulmine de cælo tãgeretur, num ideo crederes De-

Honor & contumelia irrogata imaginibus redundat in prototypa.

Euseb: lib: 9. hist: c. 10.
Sueton: in Domitian.
Theodor. li: 5. c 19. histo.

deres Deum hac ratione Euangeliũ & cœtus vestros, quàm abominabiles ducat ostendere? num eam diuinæ mentis & consilij interpretationẽ, si à nobis excogitaretur admitteres? nonné diceres, multa subinde à Deo permitti, quorũ sint occultissimæ & nobis penitus ignotæ rationes, quę cum aliqua rerum sacrarum violatione videntur esse coniuncta? Possem ego tibi ex contrario plurima exempla recensere eorum, qui quòd sacras imagines violassent, grauissimam Dei vindictam sunt experti. Sed ne longior sim, ablego te ad Chronicon Matthæi Palmerij in anno 741. & ad Zonarã, Paulum Diaconum, & alios, vitam & res gestas Leonis Imper. Iconomachi describentes. Iam ad Papam & Reges illi adhærentes gradum vnà tecum facio.

Blasphemia committitur etiã in homines. Negas in Papam & Reges Catholicos crimen blasphemiæ committi. *Blasphemiæ peccatum,* ais, *in solum Deum committitur; non igitur in Reges.* Falsum. blasphemiæ peccatum scriptura teste committitur etiam in homines. Sanè Apostoli non dij sed homines fuerunt; tamen eos Paulus blasphemia violatos affirmat, cùm ait: *Blasphemamur, & obsecramus.* (*1. Cor: 4. v. 13.*) Similiter nec Deus fuit angelus Smyrnæ Ecclesiæ, cui tamen Christus per Ioannem ait; *Blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt; sed sunt synagoga sathanæ.* (*Apocal: 2. v. 9.*) Quãuis ergo nec summus Ecclesiæ Catholicæ pastor, nec alij Reges Catholici sint dij; tamen eos à vobis blasphemari dicimus scripturam secuti, cùm eos contumeliis vobis vsitatis laceratis; neque reprehendi à vobis iure possumus, si Pontifici summo verbis Christi Domini dicamus: Blasphemaris ab his, qui se dicunt Euangelicos esse & non sunt, sed sunt synagoga sathanæ. *Non est,* inquis, *blasphemia, si quis contra Papæ sanctitatem fictitiam, & nullo iure vsurpatum Principatum aliquid dicat.* Papæ sanctitas non est fictitia, sed vera: est enim sanctitas doctrinæ Catholicæ, quam sartam tectamq; conseruat: est præterea sanctitas officij, quod in Ecclesia gerit. Principatus quoq; eius non est vsurpatus; sed à Christo in D. Petro ipsi collatus, verbis illis; *Pasce oues meas.* Obijcis; *non*

cis; *non meminisli forsan te legere, vbi Papa Princeps populi constitutus sit.* Si de re ipsa quæris, hoc ipso quod Papa est pastor populi Christiani, est etiam Princeps eiusdem à Deo constitutus. Si verò de hac Principis appellatione doceri te ex scriptura vis, reuoca tibi in mentem illa verba Psalmi: *Constitues eos principes super omnem terram.* Si Apostoli sunt principes terræ (de his enim verba ista intelligũtur) quidni Pont. Romanus hæres Apostolorum, Princeps terræ Christianorũ debeat & possit appellari? Habes, Pacate, quàm meritò author PACIS NON PACIS blasphemiæ crimen Euangelicis obiecerit; quod etsi conatus sis, tamen ab eis repellere non potuisti. Pergo ad alia.

CAPVT XV.

Crimina Sacrilegij, & alienorum vsurpationis, meritò obijci Euangelicis.

SACRilegij nos accusas, ais, *quòd loca, & vasa sacra, in vsus prophanos conuertamus. Sed quæ illa loca, quæ vasa sacra sint, à quo sacrilegium perpetratum, non explicas. Quid igitur aliud respondeam, quàm nescire te quid dicas.* Explicare ista fusiùs, tanquam toti Regno manifesta, author noluit breuitati studens. Ego in gratiam tuam paucis attingam. Quot templa Catholica à Catholicis ad vsum Catholicæ religionis antiquitùs exædificata, ad vsum vestrum conuertistis; tot loca sacra profanastis. En quàm rotundè loquor. At inquis; *Loca Deo sacrata, eiusq; verbo audiendo destinata, à nobis adeuntur, sacra ibidem peraguntur, preces funduntur, gratiæ aguntur, Sacramenta administrantur, absq; omni blasphemia, absq; omni sacrilegio.* Quæ loca à vobis ipsis extructa de nouo sunt, fateor ea sine sacrilegio eatenus adiri; quatenus cùm profana sint, nullaq; sanctitate prædita, profanari & sacrilegio pollui non possunt. Profana autem sunt, quia crucis signo sacrata non sunt; quo tamẽ, August: teste, Christianæ Ecclesiæ dedicari & sacrari consueue-

Synagogæ Euangelicorum ab iis extructæ, profana sunt.

Serm: 19. de sanctis. suceuerunt: *Crucis charactere*, inquit, *basilicæ dedicantur, altaria consecrantur*. Profana item sunt, quia reliquijs Sanctorum carent, à quibus omni memoria Ecclesiæ & basilicæ Christianæ sanctitatem suam consequebantur. Testis eius rei est

Serm: 256. de temp. idem D. August: dum ait; *Hanc Ecclesiam, quam Deus nomini suo fecit construi, fecit etiam sanctorum Martyrum reliquijs amplius honorari*. At verò loca illa, quæ maiorum nostrorum pietas & religio Ecclesiasticis vetustis ritibus Deo & Sanctis eius dedicauit & consecrauit, nō sine atroci sacrilegio polluitis, quando illa vsibus vestris & ritibus profanis, contra omne fas iusq; vendicatis. In quibus non verbum Dei, sed commenta capitis vestri prædicatis. Præclarè enim illud dictū

Epist: 212. ad Consentium. lib: 7. de Gen: ad lit: cap: 9. est ab August: *Omnes hæretici, qui scripturas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cùm suos potiùs sectentur errores*. Et alibi; *Neq; enim non omnes hæretici scripturas Catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quòd eas non rectè intelligentes, falsas suas opiniones contra earum veritatem pertinaciter asserunt*. Quod si dogmata hæreticorum omnia, profanæ nouitates ab A-

Chrys: in 1. Tim: 6. Lyr: de hæres. cap: 33. postolo vocantur, profanæ inquam; quia vt ait Chrysost: *ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei, sunt penitus extraneæ*; vel vt exponit Lyrinensis; *quia sunt vetustati & antiquitati contrariæ*: quis dubitare poterit, vestris hæreticis dogmatibus Ecclesias nostras & templa profanari? Nam & Sacramenta vestra profana sunt. Panis & vinum cœnæ vestræ profanum; Ordinationes item vestræ profanæ, non absimiles il-

Tertul: de præscript. lis, quas Tertul: in veteribus hæreticis est insectatus; *Ordinationes*, inquit, *eorum temerariæ, leues, inconstantes. Nunc Neophytos collocant, nunc seculō obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam faciliùs proficitur, quàm in castris rebellium; vbi ipsum esse illic, promereri est. Itaq; alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie presbyter, qui cras laicus: Nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt*.

In colloq: Germ: titula de Bapt. Sed & baptismus ipse prauis erroribus vestris est prophanatus. Vester enim Lutherus, quicquid dici potest balneum, id etiam seruire & aptum esse ad baptismum ait: ex quo ineuitabi-

euitabiliter sequitur, baptismum ex sententia Lutheri, si aqua desit, in vino, cereuisia, mulso, & id genus alijs administrari posse; cùm ex his omnibus balneum confici possit. Luthero succinit Beza, qui si aqua desit, quouis alio liquore, non minùs rite quàm aqua se baptizaturum asserit. Lutherus præterea vester ausus est docere Baptismum, quocunq; modo tradatur, modò non in nomine hominis, sed in nomine Domini tradatur, verè saluum facere; & eos somnia duntaxat asserere, qui de forma baptismi litigant, Græcis dicentibus, Baptizetur seruus Christi: Latinis; Ego baptizo: alijs contendentibus, nullam aliam deinceps valere formã verborum, quàm istam; Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Quæ vestrorum Magistrorum doctrina si vera est, & à vobis in vsu obseruatur, necesse est vos baptismum habere quàm maximè profanum & sacrilegum, à Christi doctrina & institutione quàm alienissimum. De vasis sacris nostris quomodo à vobis violata sint, me etiam tacente ex dictis intelliges.

Euangelicorum doctrina de Baptismo.

Epist: ad Thomam Tilium.

In captiuit: Babyl.

Sed obijcis; *Quid sacratius nobis sanctissimo Domini nostri* IESV *Christi Sanguine esse debet? Hunc tamen è cœna laicis, quos vocat Papa vester, abstulit & eripuit. Et nos sacrilegi qui hanc Christi & populi Christiani ignominiam ac iniuriam, & sacrosancti Sacramenti mutilationem, in templis nostris, admitti nolumus?* Imò nihil veri Sacramenti corporis & sanguinis Christi, in synagogis vestris habetis, ô miseri; quia cùm Presbyteros Catholico ritu certis cæremonijs initiatos non habeatis, verum etiam sacramentum habere non potestis. Papa verò sanguinem Christi laicis non abstulit; sed eum potiùs vnà cum corpore, sub altera sola sacramenti specie porrigit. Calicẽ laicis ereptum dicere debueras; si, Euangelice, accusare Papam volebas: Quanquam ereptus laicis calix dici non potest. Id enim eripi dicitur, quod violenter contra ius alicui aufertur: sed Papa non violenter, sed pro potestate sibi à Christo cõcessa, laicis calicem negat, qui iure aliquo à Christo profecto, ad laicos necessariò pertinere ostendi non potest. Quod

Papa non abstulit laicis sanguinem Christi.

teſt. Quod præterea accuſas, Papam bona & reditus Eccleſiaſticos, in pompas, vanitatem, curioſitatem, canes, equos, &c. conuertere, atq; ideo ſacrilegum eſſe: partim calumniaris, qui Paſtorem Eccleſiæ temerè & falſò accuſas; partim ad propoſitum nihil affers. Etſi enim bonorum & redituum Eccleſiaſticorũ indebitus vſus, aliquando à nonnullis Patribus ſacrilegium vocetur; nemini tamen dubiũ eſt veram ei ſacrilegij rationem non conuenire: Sicut etiã ipſi reditus Eccleſiaſtici, propriè & verè ſacri non ſunt; niſi quatenus ad ſacrorum hominum ſuſtentationem vitæ congruam ſunt deſtinati.

Venio ad crimen aliud vſurpationis alienorum, quod à tuis depellere conaris in hunc modum. *Incuſas nos vſurpationis alienorum, quòd Eccleſias & Monaſteria ad vſum Catholicæ Romanæ religionis exædificata occupauerimus. Reſpondeo 1. Si Eccleſiæ illæ & Monaſteria ad vſum religionis Catholicæ ſunt extructa; ergo nõ ad vſum Eccleſiæ Romanæ, quia Romana Eccleſia nõ eſt Catholica, vt ante oſtendi.* Oſtẽdere conatus es, ſed irrito conatu. Ruit ergo tua prima reſponſio; & tu cum tuis in crimine vſurpationis alienorum hæres. *2. Etſi ad Romanæ Eccleſiæ vſum tẽpla iſta, quæ erepta vobis conquereris, & Monaſteria à nobilibus aliisq; religioſis viris extructa primò fuiſſent: tamen ſi ijdem poſtea errores illius Eccleſiæ cognouerint, cur non liberum eſſet ab ijſdem recedere, & templa ſua ab erroribus repurgare? Fecit idem Pontifex veſter, qui Ethnica templa in ſua transformauit.* Non eſt hæreticorum, Pacate, errores aliquos in Eccleſia Catholica deprehendere, ſed Catholicam potiùs fidem proprijs erroribus deprauare. Sic Arius, Macedonius, Neſtorius, non errores in Eccleſia inuenerunt; ſed in eam inuexerunt. Solenne tamen id fuit omnibus ſemper hæreticis, vt Catholicam Eccleſiam erroris arguerent. Contra quos ita Tertul. *Ecquid veriſimile eſt, vt tot & tantæ Eccleſiæ in vnam fidem errauerint? Nullus inter multos euentus eſt vnus exitus: variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Cæterùm, quod apud multos vnum inuenitur, non eſt erratũ ſed traditum. Audeat ergo aliquis dicere illos erra-*

Familiare hæreticis, Eccleſiæ Catholicæ errores obijcere.

Notanda ſententia.

los erraſſe, qui tradiderunt. Hoc idem nos iure optimo vobis obijcimus. Cùm enim primùm exorti eſtis, quid quæſo, in Eccleſijs Catholicis inueniſtis quod erroris argueretis? Nam quæ vos errores eſſe dicitis, ab vniuerſa Eccleſia Catholica, pro veriſſimis & Apoſtolicis dogmatis ſemper ſunt habita; & ſumma totius orbis Chriſtiani conſenſione aſſerta. Ecquid ergo veriſimile eſt, vt tot & tantæ Eccleſiæ in vnam fidem errauerint? *Aliquos,* dicebat Tertul. *Marcionitas & Valentinianos,* dicam ego Lutheranos & Caluinianos, *liberanda veritas expectabat?* Interim perperam Euangelizabatur? At, vt idem rectè argumentatur, *inter multos euẽtus, non eſt vnus exitus:* hoc eſt, error non poteſt habere conſenſum; & eorum qui à via aberrant, vnus exitus eſſe non ſolet. Tot ergo Eccleſiarũ, quas inueniſtis, error doctrinæ ſi quis fuerat, variare debuerat. Quod ſi variationem nullã doctrinæ in Eccleſijs Catholicis deprehendiſtis, ſed potiùs vnam fidem, vnam confeſſionem apud multos inueniſtis; concludere cum Tertul: debuiſtis, *quod apud multos vnum inuenitur, non eſſe erratum ſed traditum.* Quomodo verò eos qui tradiderunt, erroris argueretis? cùm ipſi in grauiſſimis deprehenſi erroribus hæreatis, hoc ipſo, quòd poſteriores Eccleſia Catholica veneritis, vt meritò dicamus cum Tert: *Id eſt Dominicum & verum, quod eſt prius traditum; id autem extraneum & falſum, quod eſt poſterius immiſſum. Ea ſententia manebit aduerſus poſteriores quaſq; hæreſes.* Quod porrò ad Ethnica templa in Chriſtianos vſus conuerſa attinet, in promptu eſt reſponſio. Quicquid enim in eo genere à Pontificibus, & alijs Epiſcopis Eccleſiæ Catholicæ factum eſt, id totum iure Chriſti factum meritò cenſetur. Chriſto enim Pater cœleſtis dedit gẽtes hæreditatem, vt Pſalmiſta loquitur. Sicut ergo gentes ipſæ in hæreditatem Chriſto ceſſerunt, & eum pro Deo vero agnouerunt, ſuaq; colla iugo Euangelij ipſius ſubdiderunt; ſic & templa quæ fictitijs dijs extruxerant, ad cultum Chriſti veri Dei cedere meritò debuerũt. At hæretici, quicquid in eo genere ſimiliter audent, quo

In præſcrip.

Pſal: 2.

quæſo iure id faciunt? cur Eccleſias Chriſto ſemel dedicatas & conſecratas, Catholicis Chriſti fidei aſſertoribus eripiunt? Scilicet faciunt hoc eo iure, quo à communione Catholica ſeipſos ſegregârunt; hoc eſt iure hæretico, quod non ius eſt, ſed ſumma iniuria. Cur ſi tanto Chriſti gloriæ propagandæ, & veritatis in lucem proferendæ ſtudio tenemini, Ethnicos non aditis, vt ijs ad Chriſti fidem adiunctis, fana quoq; & delubra illorum in Eccleſias veſtras conuertatis? ſed vtar verbis Tertul: *Hoc eſt vobis negotium, non Ethnicos conuertendi, ſed noſtras euertendi: hanc magis gloriam captatis, ſi ſtantibus ruinam, non ſi iacentibus eleuationem operemini: quoniam & ipſum opus veſtrum, non de proprio veſtro ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione. Noſtra ſuffoditis, vt veſtra ædificetis. Ita fit vt ruinas faciliùs operemini ſtantium ædificiorum, quàm extructionem iacentium ruinarum.* Hæc ad tuam ſine ratione rationẽ. ſubijcis aliam non multò meliorem.

In præſcri.

Templa iſta, de quibus quæſtio eſt, non ita Epiſcopis & alijs quos vocas religioſis ſubiecta fuerunt, vt nihil in illa iuris patroni habuerint. Ius enim patronatus, quod & Cæſareis, & Papalibus legibus, ad eum ſpectat, qui templum extruit & reditibus donat, quiuis ſibi patronus reſeruauit, & ad poſteros tranſmiſit. Hoc nunc Patronis noſtris & auditoribus ereptum is, dum nec de nominationem, nec præſentationem illis miniſtrorum concedis; ſed contra antiquum Canonem, contra praxim Apoſtolicam, & primitiuæ Eccleſiæ, inuitis, nec doctrina, nec moribus forſan probatos miſſatores obtrudere vis. Non ſatis rectè intelligis, quid ſit Iuſpatronatus Pontificijs & Cæſareis legibus, ſpectans ad eos qui Eccleſias extruxerunt & reditibus donârunt. Eſt enim ius eligendi, nominandi, & præſentandi Epiſcopo Catholico, perſonam cõmunionis Catholicæ, ad munia & officia Eccleſiaſtica ritu Catholico obeunda. Hoc iure ſi qui veſtrum à maioribus accepto gaudent, non ſpoliantur, ſi modò id integrum, inuiolatumque quale acceperunt conſeruent: ſi perſonas Catholicas, ad functiones Catholicas peragendas, Epiſcopis Catholicis præſentent, vt ab eis poteſtatem verbi Dei docendi, &

De Iurepatronatu Euãgelicorũ.

cendi, & sacramenta administrandi, populumque Christianum regendi accipiant. Atqui nullum iuspatronatus vos habere vnquam ostendetis, vt profanos & laicos homines Ministros vestros, à Catholica fide alienos, Catholicorum Episcoporum authoritatem minimè agnoscentes, Catholicis Ecclesiis præficiatis, eisque facultatem hæreses disseminandi, plebemque peruertendi, & ritus profanos & sacrilegos exercendi tribuatis. A quo enim tale ius accepistis? Qui maiores vestri de talibus Ministris cogitârũt, cùm templa à fundamentis ædificare, & possessionibus locupletare primùm statuerunt? Quod si maiores vestri nullos tales cuiusmodi apud vos reperiuntur, Ministros vnquam agnouerunt; si ritus eiusmodi in Sacramentorum administratione, qui vobis solemnes sunt, nunquam oculis vsurpârunt: quomodo Iuspatronatus, quod ipsi nunquam habuerunt, Ministros vestros nominandi, eligendi, & præsentandi, ad vos posteros suos transmiserunt? Hic tibi res hærebit, Pacate, tuo gladio iugulaberis. Imprudenter ergo Iurispatronatus Pontificio, & Cæsareo iure laicis Catholicis attributi, mentionem fecisti, mihique fortissimum contra te argumentum suppeditasti. Si enim iura Pontificia & Cæsarea de Iurepatronatus vt legitima admittis, eisque niti, teque defendere ais; necesse est vt agnoscas, iurepatronatus omni in Catholicas Ecclesias prorsus vos carere. Nam iura Pontificia, & Cæsarea, hæreticos quales vos esse demonstraui, Iurepatronatus in pœnam hæresis spoliãt: Docentque Iurisconsulti & Canonistæ, Iuspatronatus Ecclesiasticũ, quod habebat hæreticus, ad ipsam Ecclesiam deuolui, & Ecclesiam ita iuris sui fieri, acsi Patronum nullum haberet. Quamuis & domestica iura habemus, quibus irrita redduntur illa omnia, quæcunque à vobis contra vetusta Ecclesiarum nostrarum priuilegia cõmittuntur. Hoc testatur amplissimum illud, quod apud Herbortum extat Augusti Regis Cõfirmationis iurium Priuilegium, illa adiecta clausula: *Quodsi aliquando eueniret, vt vel per nos, vel per quempiam alium istis*

um istis ipsis iuribus, statutis, donationibus, priuilegiis, litteris, immunitatibus, & libertatibus, aliquid huiusmodi fieret contrarium; vel si illis derogare, easdemué per nos ipsos abrogare aliqua re vellemus: ex hinc omne illud, nihil firmitatis neq; ponderis habere debet. En, Pacate, vt collationes vestræ, quibus Ministris vestris Ecclesias nostras confertis, nullius sint firmitatis & ponderis, eò quòd iuribus Ecclesiasticis & priuilegijs repugnent. Quod addis ex D. Cypriano; *plebem habere potestatem, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi:* id vestræ Euangelicæ plebi minimè conuenit; quæ cùm nullum in Ecclesia visibile & proprium sacerdotium agnoscat, nullos etiam sacerdotes potest ex suo grege eligere.

li. 1. epi: 4.

Pergis, *Fundos & reditus Ecclesiarum auersos, decimasq; denegatas conquereris: Si factum, non iniuria. Qui non laborat, non manducet, ait Paulus. Cùm igitur apud vos in vinea Domini, vt bonos decet operarios non laboretis, nec laborare velitis, iniqui & auari estis, qui mercedem nullo iure debitam exigitis.* Quidni de tam graui iniuria conqueramur, etsi tu eam iniuriam esse non agnoscas? Quo enim, quæso, iure sacerdotibus nostris Ecclesias eripuistis? quo plebem Catholicā hæresibus vestris imbuistis? circa quam si Ecclesiastici nostri instituendam non laborant, per summam iniuriam à vobis prohibetur; laboraturi vtique, si Ministri Euangelici, quò digni sunt amandarentur. Qui ergo Ecclesiasticos nostros laborare in Ecclesiis ipsorum proprijs vetatis, accusare eos iure non potestis: sed ipsi, est quod vos grauiter accusent, quòd vineas Christi tanquam singulares feri depasti estis, & eas in dumeta horrida & inculta conuertistis, & ab eis repurgandis & excolendis sacerdotes nostros arcetis; ac proinde contra ius fasq; cibo illos proprio, olim eis à maioribus vestris attributo, fraudatis. Quibus obijcere illud Apostoli non potestis: *Qui non laborat, non manducet.* Sicut enim iniuriâ vestra fit, quòd non laborent, non minori quoque fit, quòd non manducent. Atque hanc iniuriam Ecclesiasticis nostris à vobis inferri, dolenter tulit olim Sigismundus I. Rex Poloniæ. Ita

2. Thess: 3.

Non potest Ecclesiastici obijci illud: Qui nō laborat, nō manducet.

niæ. Ita enim ad Consiliarios Prussiæ de decimis Episcopo Wladislauiensi pendendis rescripsit. *Accepimus literas vestras, quibus nos docetis, quasi nouum aut desultorium Christianum, de non contribuendo pastoribus si non pascant: vnde vehementer miramur, quæ est ista noua Christiana ratio.* & infra: *Si non pendendum est pastori, nisi pascat & doceat, non pendendus etiam erit à plebe suus census ordini seu statui militari; nisi militet, & populum Dei tueatur. Si deniq; non sunt validæ dotes & priuilegia maiorum & antecessorum nostrorum Ecclesiasticis collata; cuius erunt firmitatis illa alia Ordinibus aliis, sub paribus signis, pari atramento & pelle concessa? Atq; hæ sunt illæ Euangelicæ rationes, quæ nunc orbem terrarum seditionibus, tumultibus, periuriis, & sacrilegiis implent, &c.* Frustra ergo sententiam Apostoli, Pacate, ad vestri criminis excusationem detorques. Non est vestrum Ecclesiasticis Catholicis cibum & annonam, multis ante sæculis eis assignatam, nulla eorum culpa subtrahere. Quis enim vos ipsorum iudices constituit? Sed nescio quid, contra decimas Ecclesiasticorum submurmuras. Negas eas iure diuino deberi. *Nam quod,* inquis, *de Leuitis affertis, nihil ad nos, qui Iudæi non sumus, nec Iudaicis istis legibus subiacemus.* Hoc argumento vsi sunt Euangelici, regnãte Sigismundo I. vt se liberos à decimis, Episcopis Catholicis soluendis demõstrarent. Sed quid ad illud Rex nominatus responderit, audi quæso, Pacate. *Si per legem,* inquit, *gratiæ, liber est populus à soluendis decimis, quæ ministris Dei debentur; eadem lege liber erit à soluendis tributis, quæ aliis Ordinibus & potestatibus debentur. Nam lege gratiæ, omnes pariter Christiani in vnam libertatem sunt asciti.* Expende hanc tanti Regis solutionem. Quæ tibi credo in mentem non venerat, nescio à quo initio decimarum Ecclesiasticarum originem repetenti. Ais enim: *Circa bellum sacrum Hierosolymitanum, decimæ à Papa exactæ primùm sunt; & ad tempus dumtaxat, ad illius scilicet expeditionis finem, à quibusdam Christianis prouinciis in belli sacri subsidium promissa: quod bellum cùm iam pridem expirârit, ius etiam decimarum exigendarum extinctum est.* Nescio quid hîc priùs mirer, imperitiamné tuam, an impudenti-

Petricouiæ A. 1528. Rescriptum Sigismundi 1. Regis Poloniæ pro decimis.

Petricou: A. 1528.

Pacati imperitia vel impudentia.

dentiam, an vtrumque. Decimarum à Christianis reddi solitarum, primam originem refers ad tempora belli Hierosolymitani. Quàm imperitè, paucis ostendo. Constat ex Iacobo Vitriaco, Vrbanum Pontificem in generali Concilio Claromontano, fideles ad bellum sacrum Hierosolymitanum suscipiendum, primùm circa annum Domini 1095. esse cohortatum. Atqui decimarum in Ecclesia Catholica exactionem multò esse antiquiorem nemo ambiget, qui Sanctorum Patrum scripta, & Conciliorum Canones euoluerit. Hieronymus ita alicubi scribit: *Quod de decimis primitijsq; diximus, quæ olim dabantur à populo sacerdotibus atq; Leuitis, in Ecclesiæ quoq; populis intelligite.* Augustinus verò in hunc modum: *Maiores nostri ideo copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: Modò autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur.* In antiquissimis quoque Concilijs decimarum solutio legitur præcepta; vt in Aurelianensi primo ante annos mille, Matisconensi secundo, eodem seculo celebrato, Moguntino tempore Caroli Magni, & multis alijs. Quis ergo tibi, Pacate, suggessit, decimas circa tempus belli Sacri à Papa primùm esse exactas? Sed video vnde hanc fabulam acceperis. Quidam ex tuo grege ausus est affirmare, à bello nescio quo contra Saladinum in Syria Clemente 3. Pontifice authore suscepto, decimarum soluēdarum initium factum esse. Sed quis tam audacis atq; liberæ asseuerationis est testis? Non equidem negamus, olim cōsuetudinem fuisse, cùm grauius aliquod periculum Reipub. immineret, aut Hierosolyma à Saracenis vel teneretur, vel vexaretur, vt Romani Pont. omniū Christianorum Principum opem implorarent, illudq; efflagitarent, vt decimas belli quasi subsidia penderent: ab eâ tamen occasione, siue in Prouincijs exteris, siue in Polonia ipsa, decimas originem habuisse, illud est quod penitus inficiamur. De alijs Prouincijs iam dixi. Si autem ipsas Poloniæ leges & statuta peruolutauerimus, facilè comperie-

Histor: Orientalis c. 16.

Antiquitas decimarum in Ecclesia.

In cap: 3. Malach.

Homil: 48. ex 59.

periemus, decimas in ipsa quoq; Polonia aliam, quàm belli Sacri gerendi originem habuisse; ac non recenti quapiã consuetudine, sed planè vetustissima, optimorumq; Principum legibus, firmatas esse & roboratas. Mecislaus enim ducentis ante Clementem III. annis, Christi sacris initiatus, Episcopis institutis, decimas frugum omnis generis, tam de suis, quàm suæ nobilitatis, adeòq; plebis agris, edicto perpetuo adscripsit. Quod sanè testimonium tam est præclarum & illustre, vt si aliud nullum vel in historijs extaret, vel in Statutis inueniretur, ipsum solum ad decimarũ ius asserendum, & contra vestras inanissimas argutias defendendum sufficeret. Pudeat ergo te, Pacate, insignis tuæ vel imperitiæ vel impudentiæ: pudeat legum patriarũ, & historiæ veteris tam rudem & imperitum esse. Quamuis vt vllo suffundaris pudore, non video esse à te expectandum; quippe qui verecundiæ fines transgressus affirmare audes, *nunquam vnanimi omnium Ordinum, & statuum consensu, & approbatione, legem de decimis in Polonia latam & constitutam esse.* Benè & nauiter te esse impudentem conuincit decretum Casimiri Magni, quod apud Herbortum legere poteris, latũ contra eos, qui decimas Ecclesiasticis subtrahebant, quod omniũ Ordinum authoritate robur suum habuisse, testantur illa verba: *De consilio venerabilis in Christo Patris & Domini Iaroslai S. Gnesnensis Ecclesiæ Archiepiscopi, nec non Prælatorum, Palatinorum, Baronum, & vniuersorum Nobilium nostrorum de terra Polonia.* Sed cum tua insigni impudentia pugnare diutiùs nolo. Concludo, ab authore PACIS NON PACIS rectè scriptum esse, Confœderationem nihil aliud quàm meram scelerum impunitatem esse. Nam qui Confœderationem lege perpetua firmari vultis, hæresis, blasphemiæ, sacrilegij, alienorumque vsurpationis grauissima crimina vt sint impunita, contenditis.

Herbort: fol: 53.

CAPVT XVI.

Responsionis Pacati ad quartam rationem examen instituitur.

AD *quartam nunc rationum tuarum*, ais, *accedo.* Accede, modò feliciùs in ea soluenda, quàm in prioribus verſere. *Pax*, inquis, *inſidioſa non eſt pax: ſed pax Confœderationis eſt inſidioſa: ergo non eſt pax. Inſidioſam pacem Confœderationis ideo* ais, *quòd vnum in ea à nobis proponatur apertè, libertas ſcilicet quasuis amplectendi hæreſes, & libertatis eius impunitas; alterum celetur inſidiosè.* Bona fide vt video, argumentum repetis. Quid ergo habes quod reſpondeas. *Sed vtrũq; membrum probationis falſum eſt. Hæreſes enim nõ amplectimur, nec amplecti volumus.* Vaniſſima reſpõſio & falſitatis manifeſtò conuicta. Perge, & alia præſidia quibus te tueâre, perquire. *Pacẽ Confœderationis nulla lege firmatã ais; nec pro lege haberi poſſe, quòd vnanimi Ordinũ & Statuũ conſenſu & approbatione lata non ſit & conſtituta.* Ita eſt, Pacate. Hoc affirmamus, & liberè vobis obijcimus. Si poteſtis, contrarium oſtendite. *Bona verba, quæſo,* inquis. *Quid igitur illud, quòd tempore Interregni poſt mortem Sereniſſimi Regis quondam noſtri Sigiſmundi Auguſti, in Comitijs generalibus Warſauienſibus, Anno 1573. 28. Ianuar: omnes inclyti huius Regni Ordines & ſtatus, ſub vinculo iuramenti, fide, honore, & conſcientijs, mutuò ſibi ſtipulati ſunt?*

Antiquæ huius regni Cõfœderationes contra hæreticos.

Repetam ego in tuam gratiam, antiquiores aduerſus hæreſes, & earum ſectatores, in hoc nobiliſſimo Regno ab omnibus Statibus initas Cõfœderationes. Prima fuit regnante Wladiſlao Iagellone, quæ in hoc edicto continetur.

Prima.

Cùm ſub diſſimulatione præterire non debemus, imò arcemur diuinæ legis perpetuis inſtitutis, peſtiferos hæreticorum errores (quos in Dei contemptum, & in Chriſtianæ religionis detrimentum, & eneruationem, politiæq; iacturam, iniqua peruerſorum corda conflauerunt) etiam quæcunq; oporteret nos ſubire pericula, à finibus noſtris propulſare, & in gladio deijcere, vt qui cenſurâ Eccleſiæ non terrentur, humanâ ſeueritate mul-

ritate multentur; maturo consilio Prælatorum, Principum, & Baronū nostrorum habito, & consensu, & etiam de certâ ipsorum, & nostrâ scientia, præsentibus decernimus, & pro firmo, constanti, & pro irrefragabili edicto teneri præcipimus: vt quicunq; in Regno Poloniæ nostro, & terris nobis subiectis, hæreticus, aut hæresi infectus, vel suspectus de eadem, fautor eorum, vel director repertus fuerit; per nostros Capitaneos, Consules ciuitatum, & alios Officiales, ac quoslibet subditos nostros, siue in officijs, siue extra viuentes, velut Regiæ Maiestatis offensor capiatur, & iuxta exigentiam excessus sui puniatur, &c. Datum in Wielun. Anno D. 1424. Altera, cuius tenor est huiusmodi. *Nos Principes spirituales & seculares, Barones & Comites, Proceres, Milites, Nobiles, Ciuitates, totaq; communitas Regni Poloniæ, singulariter singuli, & vniuersaliter vniuersi, eodem animo, eadē voluntate, scientiâ, assensu, & ratihabitione, omnes vnanimiter, significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis, præsentibus, & futuris, notitiam præsentium habituris: Quomodo consideratis nonnullis disordinationibus, quæ in ipso Regno suboriri inceperant, visis literis prædecessorum nostrorum, Posnaniæ, Petricouiæ, & in Jedlna factis, circa easdem literas, & earum articulos, sub quacunq; verborum formâ extāt confecti, remanere volumus vsquequaq;, & spondemus; & præcipuè circa hunc articulum: Quòd quicunq; existens indigena Regni Poloniæ, habens in ipso Regno Poloniæ bona, vellet aliquas inobedientias, contra ius terrestre commune, aut etiam guerras, nobis & eidem Regno Poloniæ damnosas, alicui mouere, sine licentia Domini nostri Regis gratiosissimi, & Consilij sui, & in iure terrestri communi nollet contentari, aut etiam hæreticales errores facere, vel promouere vellet; contra talem siue tales, cuiuscunq; status, gradus, conditionis, & præeminentiæ fuerint, siue spirituales, siue seculares, & in eorum destructionē, consurgere volumus & promittimus sub fide & honore. &c. Scriptum & datum in noua Ciuitate Korczyn, feria 6. ipso die S. Marci Apostoli & Euāgelistæ, generali tunc Parlamento celebrato, A. 1438.* Quæ Confœderatio, renouata & confirmata est post mortē Sigismundi Augusti Regis, Cracouiæ Anno 1572. Anno demum 1573. 28. Ian. Warsauiæ, in conuentu Regni generali ad eligendum Regem celebrato, conflata est noua alia

Secunda.

Confœderatio inter dissidentes in religione quando primum facta. Confœderatio, in qua confectus est articulus de pace inter dissidentes in religione; ne videlicet quisquam diuersæ religionis, & in Ecclesijs alicuius mutationis causa, morte, confiscatione bonorum, carceribus, exilio, à quouis magistratu puniretur. Sed scire debes, Pacate, hanc Cõfœderationem multis de causis legis, vim non obtinere. *Hæc tamen Confœderatio non habet vim legis.* Nam & Interregni tempore confecta est, quo leges nullæ condi, vtpote Repub. capite suo orbata, possunt: præterea Cler⁹ vniuersus, ac bona nobilitatis pars, integræq; nõ nullæ prouinciæ, sunt eidem refragatæ, & protestationem suam quam contra illam composuerunt Ecclesiastici, in acta publica Sochaczeuiensia, seruato iuris ordine inseruerunt. *Probatur id 1.* Cuius protestationis, si vis, describe tibi exemplar, vt videas Confœderationem vestram, simul natam & impugnatam esse; *2.* neq; communi consensu Ordinum omnium, neq; de mandato particularium Regni Conuentuum, imò contra expressam illorum voluntatem, (qua prohibebant, ne ipsorum Nuntij ad conuentum generalem Warsauieñ profecturi, quicquam aliud præter negotium eligendi Regis futuri tractarent) esse malè conglutinatam & coalitam, ac proinde superiores Cõfœderationes legitimas per eã tolli & abrogari nõ posse.

Pergis. *Quid quod vnanimi omnium Ordinum, omnium huius Regni Prouinciarum consensu, Henrico Valesio, & Stephano Bathoreo, Regibus quondam nostris Serenissimis, propositum est! Quid illud in quod conceptis verbis iurârunt! Ille quidem Parisijs, hic Megessi; vterq; iterum in Polonia. Quid hoc? quod vnanimi omnium Ordinum Regni consensu decretum, vt omnes in posterum Reges idem præstent iuramentum (quo pax Confœderationis expressè sancitur) quod Henricus Valesius? En legem Confœderationis vno ore ab omnibus Ordinibus constitutam & approbatam. Approbatam iterum dico, vel tacendo, quia huic postremo decreto, nemo vestrûm tum contradixit, aut protestatus est. Tu si vir es, vnanimi omniũ Ordinũ & statuum consensu, & approbatione hactenus eam abrogatam proba.* Ad singula capita succinctè respondebo. Henrico Valesio, & Stephano Bathoreo, Regibus quondam nostris propositus ar-

tus articulus de pace inter dissidentes in religione, iuramento firmandus: quem & conceptis verbis iurârunt; sed id totum factum est vniuerso Ecclesiastico ordine & bona Equestris ordinis parte reclamante. Neq; vnquam tu ostẽdere poteris, vnanimi omnium Ordinum Regni consensu decretum esse, vt iuramentum, in quo clausula de pace inter dissidentes in religione inserta est, Reges Poloniæ in sua solemni inauguratione præstent. Fateor illos iurare cum dicta clausula solitos; sed contra eiusmodi clausulam, quamuis iuratam, certum est, protestationes interponi. Vana ergo est illa tua gloriatio. *En legem Confœderationis, vno ore ab omnibus Ordinibus constitutam & approbatam.* Si enim lex est talis, qualem tu prædicas gloriabundus; cur eius præsidio vos non satis esse tutos putatis? cur in singulis Regni Comitijs, hoc Confœderationis negotium tractari contenditis? An de lege, quam omnium consensu legem esse constat, agi toties & tanta contentione oportet? Si legem Confœderationis habetis, gaudete de illa in sinu, neq; ampliùs vllum de ea verbum facite. Nam repetitis toties clamoribus & conatibus, nihil aliud significatis, quàm vos causæ Confœderationis diffidere. Illud 4. etiam velim mihi expedias, cur tam multæ Regni Prouinciæ in particularibus suis Conuentibus, id suis Legatis iniũgant, vt de articulo Confœderationis, in Generali Conuentu Regni verbum nullum faciant; qualia mandata plurimos Prouinciarum Legatos in superioribus comitijs habuisse certò constat. Estné hoc signum, Confœderationis articulum, pro lege, vnanimi omnium cõsensu lata & approbata haberi? an non potiùs hoc argumento est certissimo, magnam nobilitatis partem in dubium id reuocare, quod paucorum priuato conatu & machinationibus, in Conuentu generali Warsauiensi sub Interregno perfectum est? imò non in dubium reuocare modò, sed pro non facto habere, nec præteritum errorem, nouo consensu & conspiratione, vllo modo firmare velle? Atq; hoc est, quod solùm ad retunden-

tundendam gloriationem tuam sufficit. Nam quod petis, necessarium non est, vt Confœderationem, omnium Ordinum & statuum consensu abrogatam ostendamus. Nam leges illæ abrogari debent, quæ fuerant legitimè latæ & approbatæ; quæ verò legis vim nunquam habuerunt, non opus est abrogari. Ipsæ enim per se ruunt, maximè si illis quotidie penè contradicatur, ita vt tractu temporis conualescere non possint.

Pergis ad alterum probationis membrum. *Falsum* inquis, *est & alterum probationis membrum, quo insidiosè à nobis celatum ais, quid amplius propositum Confœderationis postulatio habeat. Celatúne à nobis, quod publico Ordinum consessui Warsauiæ propositũ, & omnium consensu approbatum est, anno 1573. 28. Ianuarij, ne ob diuersitatem confessionis, & mutationem in templis factam, sanguis in hoc Regno fundatur, aut mulctis pœnisq; quis afficiatur?* Vis scire, quæ nam in postulatione Confœderationis celentur? Dicam. Celatur inprimis libertas, quosuis hæræticos, absurdissimos errores publicè spargendi, & vel concionibus, vel libris scriptis propugnandi: Celatur potestas, publicos cœtus obtentu religionis cogendi, & mutationes quasuis in templis & Ecclesijs faciendi; iurepatronatus in Ecclesias Catholicas abutendi; templa & reditus Ecclesiasticos Ministris profanis attribuendi: subditos rusticanos & oppidanos ad hæreses cogendi: authoritatem & iurisdictionem Episcoporum detrectandi: Priuilegia & fundationes veteres Ecclesiarum supprimendi & abolendi: bona Ecclesiastica occupandi: decimas vsurpandi. Hæc omnia specioso illo pacis nomine celata fuisse, nũc res ipsa docet. Longius enim prouecti estis, quàm pacis eius quam postulastis ratio permitteret. Pax illa nihil aliud vobis adferre debuit, quàm impunitatem solam, ne scilicet pœnas ob hæresim debitas legibus dependeretis. Cæterùm reliqua omnia quæ sub illo pacis velo occultastis, cum insigni iuris aliorum violatione sunt coniuncta. Neq; verò si alicui criminis alicuius impunitas conceditur, inuolare ideo in aliorũ

Quæ celentur in Confœderationis articulo.

Euangelici longiùs sunt prouecti quàm initio ostendebãt.

iura ei

iura ei licet. Sit ita sanè, vt à pœnis in hæreticos latis, liberi sitis, & quamlibet hæresim impunè sectemini; at quo iure liberum esse vobis debet hæresim palàm disseminare, & defendere? quo iure cœtus cogere? Ecclesias vel nostras occupare, vel nouas extruere, & ea quæ paulò antecommemoraui patrare? Itané vt vos in pace sitis, & securè agatis, aliena iura violari debent & perfringi? Istané pax esset, & non potiùs omnis iustitiæ apertissima euersio? Si mos vel consuetudo alicubi obtineret, lupos obuios etiam facultate oblata minimè interficere; num iccirco si caulas rusticanas inuaderent, & in ouium cæde grassarentur, inulti abirent? Pari ratione, etsi vobis metu pœnarum solutis liberisque inter nos licet versari; non tamen ferendi estis, dum nostra inuaditis, dum magnā animarum stragem editis, dum contra Episcoporum iura, templa extruitis, Scholas publicas aperitis, & tam multa alia iura Ecclesiastica & Politica violatis.

Sed ais: *Templa vestra non occupauimus, nec appetiuimus.* Falsum. nulla enim ad vsum hæresis vestræ extructa reperistis, in quibus nunc conuenitis. *in ea quæ sub nostro sunt patrocinio, ius vobis nullum concedimus.* hæc verò insignis est iniuria. Quis enim vnquam vos hęreticos templorum Catholicorū patronos instituit? An non hoc fuisset oui patronum lupū assignare? *noua in nostris territoriis extruere, nullo iure vetamur.* imò vetamini, quia hoc si facitis, iuri Episcoporum & Parochorum manifestam vim affertis. *bona Ecclesiastica si ministris nostris attribuimus, in sacrum ea vsum conuertimus.* Esto, sacer ille vsus esset; quis tamen vobis potestatem aliena bona in vsus sacros conuertendi permisit? cur de vestris reditibus, stipēdia Ministris vestris non persoluitis? *In Regiis ciuitatibus, quæ templa Regum nostrorum Serenissimorū indulgentia, & Ordinum Regni consensu, nostris aut attributa, aut de nouo ædificata erant, cur ea non asseramus? cur ea contra vim turbonum secura esse non petamus & vrgeamus?* Quis verò de eiusmodi templis, si quæ ea ratione obtinetis, negotium vobis facessit? Nam si quis vos iure

conuenit, templa à vobis temerè cum Episcoporum & Parochorum præiudicio vsurpata repetit. *Insidiæ à nobis nullæ timendæ.* Quamdiu Catholicis numero inferiores estis. *Nunquam vobis bellum minati sumus, multò minùs ostendimus.* quia tantæ moli impares vos hactenus sensistis. *Iura vestra non violamus.* Ita vobis videtur; Catholici aliter & sentiunt & loquũtur. *Nostra quoq; nobis integra relinqui, & manus à rebus corporibusq; nostris abstineri cupimus.* quod cupitis, obtinetis, summa Catholicorum in vos clementia & lenitate. *Inuehere in nos quãtùm potes, quantùm libet, causæ nostræ æquitatem, sat scio plurimi tuorum optimè cognitam habent.* Nemo Catholicorum causam vestrã æquitate niti existimat. Qui autẽ vobis maximè sunt propitij, tẽporibus Reipub. aliquid concedendum, pacique publicæ consulendum putant, tametsi optimè intelligant, longè melius fore, si hæresibus damnatis, ad matrem Ecclesiam Catholicã, quam temerè deseruistis redeatis. Quod ego quoque vobis ex animo opto. Intellige ergo, Pacate, frustra te in quarta ratione authoris soluenda laborasse.

CAPVT XVII.

Responsio Pacati ad quintam authoris rationem qualis sit consideratur.

QVinta ratio Authoris fuit. *Pax quæ vtriq; parti dissidenti non est æqualis, non est pax: Sed pax Confœderationis, non est Catholicis & Euangelicis æqualis: Ergo non est pax, sed vnius partis, id est Catholicorum oppressio.* Hîc tu exclamas. *Quæ enim (proh Deum immortalem) vestra oppressio? Primas in regni Comitiis, primas in tribunali tenetis;* Hoc tibi scilicet, Pacate, dolet: hoc oculos tuos vrit. Certè similem honorem vestris Ministris nunquam haberetis, qualem maiores nostri Christum in suis seruis honorantes Episcopis Catholicis habuerunt. *Quoscumq; libet in ius vocatis.* Hæc verò calumnia est non responsio. neminem in ius nisi violatorem iuris vocamus. *Iure nõ*

patrio sed extero contra eos experimini. Canones vt puto Ecclesiasticos intelligis, qui apud Catholicos omnes, in causis Ecclesiasticis iudicandis, patrij iuris vim obtinere debent. *Ipsi tamquam anguillæ lubricæ elabimini.* Nugæ. non elabimur, sed iudicum sententia, vt innocentes absoluimur. *Ordine vestro tamquam Orci galea tecti, ab omnibus molestiis & iudiciorum iniuriis (quamquam quæ vobis potest irrogari iniuria?) tuti estis. De spiritualibus sic loquor.* Satis apertè hæreticum dentem in spirituales exeruisti. Væ illis, si ad odium vestrum in ipsos authoritas vobis & potestas accederet. Sanè tam multorum veterum priuilegiorum galeam, qua contra omnes iudiciorum secularium iniurias hactenus tuti fuerunt, per summũ eis scelus detraheretis.

Sed mirum, quantùm istius hominis crescat impudentia. Audet asserere: *Nemini Catholicorum in Anglia, neq; Elizabethæ Reginæ, neq; Iacobi Regis temporibus, ob Romanæ religionis professionem vllum creatum periculum: Campianũ non esse vltimo supplicio affectum, quòd contra hæreticam prauitatẽ, sed quòd contra Reginam Elizabetham, & illius regni statum conspirâsset.* Scripserat author, morem & ius Euangelicorum esse huiusmodi, vt vbi dominantur & rerum potiuntur, omnem Catholicæ religionis publicum vsum & professionem prohibeant, & in secus facientes, grauissimis pœnis & supplicijs animaduertant; & ita eos facere in Anglia, Hollandia, Saxonia, &c. Quid ad hæc iste? Negat ea quæ tam clara & illustria sunt, & tam multorum literis testata, vt sine manifesta & effronti impudentia negari non possint. Nam Catholicæ religionis publicum vsum & professionem nullam esse in Saxonia, lippis & tonsoribus notum est. Eandem proscriptã esse ex Anglia, & Hollandia, testantur ea quæ supra scripsi cap: septimo; vbi etiam pœnas in Catholicos suæ religionis sacra vsurpantes, seuerissimis legibus ab Hollandis constitutas retuli: quarum exemplar ex Anglia ipsos accepisse probabilissimũ est. Nam Elizabetha Regina Angliæ, anno D. 1558. in primo regni sui anno, iuramentum subditis

Magna Pacati impudentia.

Elizabetha Reginæ Angliæ leges contra Catholicos.

ſuis ſuſcipiendum propoſuit, de primatu ſuo Eccleſiaſtico; pœna recuſantibus propoſita, primùm quidem amiſſionis bonorum, carceriſque perpetui; tùm, ſi quis ſententiam ea ratione non mutâſſet, pœna capitis, quam perduelles ſuſtinere coguntur. Anno verò ſequenti 1559. Miſſam facientibus vel audientibus, aliudvé quodcunque officium Eccleſiaſticum ritu veteri procurantibus, Sacramentumq; aliquod Romano more adminiſtrantibus, grauem indixit mulctã, nimirum prima vice 200. aureorũ, aut carceris ad ſex menſes: ſecunda vice 400. aureorum, aut carceris ad annum: tertia vice priuationis omnium bonorum, & perpetuorum carcerum: ſecundum quam legem, mox in carceres coniecti ſunt Epiſcopi plurimi, quorum nomina deſcribit Nicolaus Sanderus grauis author, qui ea quæ propriis oculis in Anglia inſpexit, literis ad poſteritatem cõmendauit. Quibus addit alibi ad annum D. 1560. permultos etiam nobiles laicos, eadem de cauſa carceribus mancipatos, qui omnes vel in carcere, vel in exilio extincti ſunt. Et tamen Pacatus noſter ſcribere audet, in Anglia ſub Elizabetha Regina, ob Romanæ religionis profeſſionem, nulli periculum creatũ eſſe. Quomodo enim nulli Catholicorum creatum eſt vllum periculum, ſi tot Epiſcopi, & laici illuſtres, ea ſolùm de cauſa carceribus ab ea ſunt incluſi, quòd ipſam caput Eccleſiæ agnoſcere recuſarent? Non eſt forte cauſa religionis, vtrum regimen Eccleſiaſticũ, idque ſupremum, à Summo Pontifice ad fœminam Reginam poſſit transferri; aut non eſt graue periculum & mulcta, damnari exilio, aut carceri perpetuo mancipari, vel capitis pœnam ſuſtinere? Omitto de induſtria plurima alia edicta, quæ variis temporibus Elizabetha, aduerſus Catholicos ſolius Religionis cauſa promulgauit, quibus inſignis huius Pacati impudentia retunditur. Nam quod ſubdit, *Campianum ob conſpirationem, non contra hæreticam prauitatem; ſed contra Reginam ab Elizabetha capite mulctatum*: calumnia eſt hæretica longè impudentiſſima, ſed in Anglia nata, & inde in Poloniam quoque acceſſita.

lib: 3. de ſchiſm: Anglic.

Scio

Scio Caluinianis Anglis id esse propositum, vt Catholicorum non solùm vitæ insidias struant, sed etiam eorundem crudelissimis supplicijs extinctorum famam obiectis perduellionis criminibus contaminent. Sic Coquus quidã Anglus, in actione sua proditoria contra Henricum Garnetum Societatis IESV, ausus est affirmare, in omni Elizabethæ Reginæ tempore, per spatium 44. aut plurium annorum, vix 30. sacrificulos pro coniurationibus & proditionibus mortem subijsse, & quinq; tantùm qui illos hospitio excepissent; pro religione verò planè nullum. Cuius apertissimum & luculentissimum mendacium ex alterius hæretici scriptoris testimonio refellitur. Stous enim quidam Anglus historicus, ad annum 1583. disertè scribit, *Sladium & Bodæum, condemnatos ob crimen læsæ maiestatis, eò quod Romanam potentiam defenderent, tractos, supplicio affectos esse.* Vbi nomine Romanæ potentiæ, Auctoritas Romani Pontificis intelligitur. Apud eundem Stoum legas, ad Annum 1584. Ioannem Fennum, Georgium Haddocum, & tres alios præterea, inuentos esse reos læsæ maiestatis, quòd facti essent sacerdotes in partibus vltramarinis, idq; auctoritate Romani Pont. eoq; nomine esse interfectos. Præterea anno 1588. octo laicos commemorat idem Stous supplicio affectos, quatuor quòd reconciliati essent Romanæ Ecclesiæ, totidem quòd Sacerdotes sumptibus suis sustentâssent. Et paulò post meminit Roberti Sutoni, quẽ ait Londini suspensum esse, eò quòd reconciliatus esset Sedi Romanæ. Et anno 1592. refert Thomam Pormortum conuictum fuisse duorum criminum læsæ Maiestatis; vnius quòd factus esset Seminarista Sacerdos, & mansisset in Regno; alterius quòd contra formam statuti, Ioannem Baruisium reconciliâsset. Mentitus est igitur Coquus splẽdidissimè, cùm scripsit neminem Elizabethâ regnante, causâ religionis esse interfectum, quo in mendacio deprehensus, Angli hominis testimonio apertissimo conuincitur. Et profectò ad quam aliam, quàm ad religionis causam pertinere

Euangelici in Anglia, hostes sunt Catholicorum non solum vitæ sed etiam famæ.

Insigne mẽdacium cuiusdam scriptoris Angli.

Occisi Catholici in Anglia nomine religionis, proditi memoriæ ab Anglo historico Caluiniano.

potest Sacerdotem initiari, homines Ecclesiæ reconciliare, reconciliationem suscipere, Pontificis spiritualem potestatem tueri?

Mentitur Pacatus Cãpianũ Iesuitam ob conspirationẽ contra Reginam Angliæ cæsum.

Eodem mendacij spiritu afflatus noster Pacatus, mentiri veritus non est, Campianum Iesuitam ob conspirationem contra Reginam, esse vltimo supplicio affectum: cùm is in ipso supplicij loco, votis pro salute Reginæ factis, se non pro intentatis sibi criminibus, sed pro Catholicæ fidei veritate mori, apertissimè omnibus audientibus testatus sit. Legatur concertatio Ecclesiæ Catholicæ in Anglia, de Cãpiani martyrio; Alanus Cardin: in vita; Sanderus lib: 3. de Schism: Episcop. Tirason: lib: 4. hist. c. 33. Illelt ad annũ 1583. Sed quid mirum est, hæreticos Catholicis pro fide Apostolica Romana decertantibus, Martyrij palmam inuidere, & eorum gloriæ splendorem, calumniarum & mendaciorum nebulis obscurare velle? Vetus is erat mos Christi, & eius Ecclesiæ hostium iuratorum, vt quia certamina Martyrum, tanti ab omnibus Christianis fieri, & nũquam intermorituris honoribus condecorari cernerent, martyrij gloriam nobilissimis Christi athletis inuiderent, eosq; grauissima quæq; passos, non Christi, sed criminum quæ illis affingebant, causâ mentirentur. Possem commemorare plures tyrannos, qui ita erant animo comparati, vt variorum criminum, & præcipuè læsæ Regiæ maiestatis infamiâ, Sanctos Martyres onerarent, vt sic iustissimè ex hominum numero deleti, & expuncti ab omnibus iudicarentur. Sed interim vno contentus ero Iuliani Apostatæ exemplo, de quo memoriæ prodidit S. Chrysost: *Finxisse illum varias causas, vt obscuraretur Martyrij corona, & nihilominus cædes & strages fierent.* De eodem ita Greg: Nazianz: *Turpiter,* inquit, *admodùm pietatem vexauit, animiq; fraudes & versutias persecutioni, quam aduersus nos excitabat induxit, & acerbitati crudelitatiq; suæ excusationem quærebat, vt non sine causa vim afferre videretur.* Atque hac versutia & arte vsus, Elpidium insignis nominis Christianum, à Constantio Imp. ob egregiam spectatamq; hominis

Euangelici imitatores hostium Ecclesiæ, qui sãctos Martyres ob alia crimina passos mentiebantur.

Præcipuè Iuliani Apostatæ.

Serm: de SS. Iuuentio & Maximo.

Orat: 1. in Iulian.

Baron: A. 362.

hominis virtutem Præfectura Prætorij decoratum, cùm eũ in his quæ sunt religionis, cõstantissimum comperisset, Præfecturâ exutum redegit in Ordinem; postea verò alia occasione quæsita, vt Imperij perduellem dirè necandum præcepit. Sed commemoranda præterea hoc loco est insignis eiusdem impostura, quam verbis Sozomeni visum est mihi referre. *Dedit*, inquit, *operam, vt in publicis imaginibus, iuxta ipsum Iupiter depingeretur, velut è cælo apparens, coronam & purpurã quæ sunt insignia Imperij ipsi præbens; Mars item & Mercurius in eum intuentes. Ista quidem & alia quæcũque, ad cultum Gentilium spectabant, imaginibus admisceri imperauit; ad eum finem, vt non modò simulatione honoris Imperatori decreti, subditos res vnà depictas latenter venerari cogeret, verùm etiam vt voluntates subditorum clàm in fraudem induceret. Nam sic cogitabat, si hoc illis persuaderet, se multò faciliùs quæ in animo habebat, de cætero effecturum esse: sin repugnare animaduerteret, se in illos, vtpote res nouas contra Romanorum instituta molientes, & cùm in Rempub. tùm in imperium peccantes, absq; vllâ veniâ vindicaturũ. Quare pauci profectò erãt, qui dolũ eius intellexêre: qui quidẽ eũ, vt moris erat, adorare renuerẽt, pœnas dedère.* Ita dolo & astu illius apostatæ, qui Christi & religionis causa, caput suum in discrimen obijciebant, vt perduelles & Imperatoris Imperiiq; hostes, meritissimas fuisse pœnas credebantur. Eadem fraude & dolo, tam multi Christi gloriosi Martyres in Anglia, diris pro fide Catholica Romana cruciatibus & supplicijs excarnificati, nihilominùs læsæ Maiestatis & perduellionis rei, passim ab hæreticis iactabantur, excogitatis & statutis insidiosis legibus, quas si violarent, in capitis extremum periculum vocarentur. Sic è medio sublatus est commemorabilis Christi Martyr Edmundus Campianus: sic multi alij constantissimi fidei Catholicæ Romanæ defensores; quorum Martyrij gloriam nulla vnquam hæreticorum versutia, dolis & mendacijs instructa, poterit obscurare. Viuent Christi Martyres in hominum memoria; nullaq; ætas de laudibus eorum conticescet: hæretici verò, & capitis & famæ ipsorum hostes acer-

lib: 5. hist: cap: 16.

Dolus insignis Iuliani.

bissimi,

bissimi, mendacij & imposturæ perpetua infamia notabũtur. Atq; hæc, quæ de temporibus Elizabethæ Reginæ Angliæ breuiter cõmemorata sunt, nullo negotio ad præsentem quoq; Anglicani Regni statum accommodari possunt. Frustra niteris, Pacate, historicæ veritatis luci, tenebras offundere. Nam etiamnum religionis nomine, Catholicis passim in Anglia, fortunarum vitæq; periculum creatur.

Scio quidem Serenissimum Iacobum Angliæ Regem in Præfatione sua monitoria scribere; *Neminem suis temporibus conscientiæ ac religionis causa vltimo supplicio esse affectum. Nam quantumuis religioni suæ deditus sit, quantumuis eam apertè & constanter profiteatur, nullum ei à legibus impendere capitis periculum, nisi contra leges, externo aliquo actu deliquerit.* Sed quænam rogo sunt istæ leges? Illæ videlicet, quæ Sacerdotes Catholicos in domum recipere, cum Ecclesia Catholica reconciliari, sacrificio Missæ interesse prohibent; iuramentum verò de primatu Regis in spiritualibus, vel certè de non curanda Sum. Pont. excommunicatione præcipiunt. Quæ quidem leges, quia ad religionem pertinent; iccirco qui propter huiusmodi legum transgressionem vltimo supplicio afficiuntur, meritò propter religionem tali supplicio affecti dici debent. Eiusmodi porrò in Anglia Iacobo etiam regnante, contra Catholicos latas esse leges, constat ex duplici edicto A. D. 1606. promulgato, quorum prioris titulus iste est. *Ad detegendos & reprimendos recusantes Papistas.*

Leges Iacobi Regis Angliæ contra Catholicos.

In huius edicti articulo primo, confirmantur leges Elizabethæ aduersus Catholicos iam olim stabilitæ. In secundo, iubetur vt Præfecti locorum inquirant in Catholicos omnis ordinis & ætatis, qui templa Caluinistica adire recusant, imposita mulcta 20. flor. si negligẽtes in Catholicis perquirẽdis extiterint. In 3. statuitur, vt acriter puniãtur Catholici, qui cõmunionẽ seu cœnam, Reformatorũ more sumere recusauerint. In quarto statuitur, vt qui recusauerit sacris Caluinistarũ interesse, si cõuictus in iudicio fuerit, soluat in mẽses singulos florenos ducentos. In 8. decernitur, vt qui recusat iuramentum fidelitatis certis quibusdam hæreticis

verbis

verbis conceptum facere, conijciatur in carcerem ſicariorum atque latronum. In 9. additur, vt eidem in carceribus detento proponatur iterum iuramentũ: quod ſi recuſauerit, amittat omnia bona, & carceri perpetuo mancipetur. In 10. additur, vt ſi tertia vice propoſitum ſibi iuramẽtum recuſauerit, capitis vitæq; diſpendium patiatur. In 14. ſtatuitur, vt qui poſt decimum diem Iunij A. 1606. ſubditum aliquem Regis Anglorum ad fidem Romanæ Eccleſiæ pertrahet, aut pertrahere conabitur, is perduellionis, & læſæ Maieſtatis reus habeatur, & reipſa pœnam illam habeat. Dicat nihilominus Rex Anglorum, neminem ſuis temporibus conſcientiæ & religionis cauſa ſupplicio eſſe affectum. Dicat & Pacatus, nulli periculũ vllum fidei nomine creatum. Quæ maiores & grauiores religionis, & conſcientiæ cauſæ poſſunt excogitari, quàm propter vitãda ſacra hæretica, opibus ſpoliari? pro recuſando iuramẽto perfidiæ in Catholicam Religionẽ pleno, carceri perpetuo mancipari? pro exhortatione ad Catholicam fidẽ quaſi reum Maieſtatis morte mulctari? Dicat præterea Pacatus illa; *Certũ eſt non paucos hodieq; in Anglia veſtrates reperiri, & degere ſine vllâ moleſtia, modò iuramentum fidelitatis Regi, ſupremo ſuo poſt Deum magiſtratui, præſtare non recuſent. Nega ſi potes.* Non nego noſtrates id eſt Catholicos, hodieq; in Anglia reperiri non paucos, præſertim in carceres & ergaſtula cõpactos: ſed degere illos ibidem ſine vlla moleſtia, quia veriſſimè poſſum negare, nego. An non illa maxima moleſtia, & reliquarum omnium caput eſt, ad iuramentũ fidelitatis Regi præſtandum, pœnarũ grauiſſimo metu obiecto cogi? quod verbo quidem iuramentum eſt fidelitatis Regi præſtandæ, reuera autem eſt ſatis perſpicua fidei Catholicæ eiuratio. Demonſtrauit id multis argumentis doctiſſimus vir è Societate IESV Iacobus Gretſerus in Cõmentario Exegetico Præfationis monitoriæ Regis Angliæ: vnicum ego ex illo proponam, quod eſt huiuſmodi. *Quicunq; negat Pontifici Romano aliquid iuriſdictionis eſſe in Eccleſiam Anglicanam, is fidem Catholicam*

Iuramentũ fidelitatis in Anglia, eſt eiuratio fidei Catholicæ.

tholicam negat: Sed qui iuramentum fidelitatis ex formula à Iacobo Rege proposita præstat, hic negat Pont. Romano aliquid iurisdictionis esse in Ecclesiam Anglicanā. Ergo. Maior probatur. Quia fides Catholica docet, & nullatenus dubitat, Romano Pontifici totum ouile Christi, totamq; Ecclesiam cōmissam, omnesq; oues, quibuscunq; in partibus mundi versantes, concreditas esse; propter illud mādatum Saluatoris, *Pasce oues meas.* Minor quoq; probatur. Quia qui iuramentum fidelitatis ex formula à Iacobo Rege proposita præstat, negat Pontifici Rom. omnem iurisdictionem etiam spiritualem, in prouincias omnes Regis Iacobi. Affirmat enim, nihil penitus iuris vllo in casu, in ipsum Regem, vel eius subditos Pontificē habere, ita vt Regem neq; excommunicare, neq; subditos eius, vt excommunicationi iustè latæ pareant, obligare vnquam queat, quicquid tandem Rex in exitium Catholicæ veræq; Christianæ fidei moliatur & agat. Nam hæc est expressa iuramenti mens, neq; vllis verborum præstigijs, ita obumbrari vnquam poterit, vt non perspicuè emicet. At quid hoc est aliud quæso, quàm Catholicæ fidei, de generali cura gregis Dominici Romano Præsuli commissa abnegatio? Iudicet ergo quiuis syncerus & candidus rerum æstimator, an qui in Anglia Catholici ad eiusmodi iuramentū præstandum compelluntur, amissionis bonorum, carceris, & mortis deniq; metu proposito, securè & sine molestia ibidem degant. Iudicent ipsi quoq; Euangelici, an si iuramentum simile, Euangelio ipsorum repugnans, in hoc Regno eis proponeretur, ad quod concipiendum & præstandum pœnis adigerentur; putarent se in hoc Regno sine vlla molestia & perturbatione degere? an non potiùs se penitus opprimi, & tyrannicè secum agi vociferarentur, & totum orbem querelis & clamoribus complerent?

Pergit Pacatus authorem alloqui: *Nega Romanenses reperiri in Hollandia. Dic, in quos, quibus de causis sumptum sit supplicium?* Habes ad istam tuam interrogationem prolixum responsum cap: 7. *Sed esto, ais; Fecerint nonnulli Euangelicorū alibi*

ista quæ

ista quæ scribis: Quid faciunt in Polonia? Cur manifestæ veritati repugnas? Cur non ingenuè fateris? Fecerũt Regna & prouinciæ Euangelicæ ista quæ scribis: Et quia fecerunt, manet inexpugnatum id quod ab Auctore scriptum est, Euangelicos vbi dominantur & rerum potiuntur, omnem Catholicæ religionis publicum vsum & exercitium vetare, & in secus facientes grauissimis pœnis & supplicijs animaduertere. Et quoniam quod alibi Euangelici faciunt, proprij Euãgelii instinctu & ex hæresis ingenio faciunt; idcirco meritò concludimus, non satis esse fidam cum illis pacem, vtpote inæqualem; cuius prætextu Euangelici potentiam viresq; nacti, nullo negotio Catholicos, pacis iura, & libertatem religionis frustrà inclamantes, opprimunt, & in durissimam tyrannidem & seruitutem redigunt. Sed Polonorum Euangelicorum causam agere vult Pacatus. *Arbitror*, ait, *ciuitates, Rigensem, Torunensem, & Gedanensem, iam pridem suæ religionis liberum à Regibus & Regni statibus impetrasse exercitium, in quo ne ab Impacatis impediantur, est quod timeant.* Habeant istæ ciuitates liberum suæ religionis irreligiosæ exercitium; sed quid est, quòd sibi ab Impacatis ne impediantur timeant? Qui sunt isti Impacati? Catholiciné? At hi vt dicis, fœderis vinculo religionis causa inito, sunt vobis deuincti, & religionis vestræ liberũ exercitium vobis permiserũt. Quid igitur à fœderis socijs vobis timetis? cur eos, Pacate, Impacatos vocas? Sed venit mihi in mentem illa parabola Euãgelica: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet: Si autem fortior illo superueniens vicerit eum; vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Quam ego parabolam sic interpretor. Fortes armati sunt Ministri Euangelici, qui sibi Verbo Dei, ceu firmissimis armis contra omnes Catholicos Doctores vidẽtur esse instructi. Hæc arma vibrant, hæc in Catholicos Doctores absẽtes, scitè vt ipsis videtur, & fortiter contorquent: & hoc pacto atriũ suum, id est vrbes quas in suam hæresim pellexerunt, custodiunt; & velut præ foribus vigiles præsidiarij excubant, ne vllum intra

Cur Ministri Euangelici nolint admittere Sacerdotes Catholicos, in eas ciuitates vbi regnant.

Luc: 11.

Doctorum Catholicorum admittant. Hoc dum ſunt aſſecuti, in pace ſunt omnia quæ poſſident: tuta illis tranquillaq́; ſunt omnia: tanquam victorés de profligata veritate Catholica triumphos agunt: ſecurè in Pontificem Romanum, in Eccleſiaſticum ordinem, in recepta ab vniuerſa Eccleſia dogmata, detonant & debacchantur; dum nemo eſt qui fraudes eorum & technas detegat; nemo qui futiles ratiunculas diſſoluat, & mendacia è tenebris in apertam lucem extrahat. Laborant itaq; id vnum, & omnes cogitationes ſuas conatuſq́; intendunt, ne quis fortior illis armatus ſuperueniat, id eſt, ne ad eiuſmodi loca, & ciuitates, Catholicis Doctoribus aditùs aliqua ratione pateat. Norunt enim eos fortiores ſe eſſe; & pluribus armis ad pugnādum & vincendum inſtructos. Nam præter arma Scripturarum; tenent in manibus traditionem, & conſenſum Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ: tenent ſucceſſionem Apoſtolicæ in Cathedra Romana doctrinæ, quas veluti amentatas haſtas in hoſtes non irrito, neq; caſſo vulnere contorquent; & ſic de præſidijs ſuis & ſtationibus, imbecilliores Euangelicos Miniſtros deijciūt, & deturbant; arma eorum vniuerſa in quibus confidebant eripiunt, hoc eſt ſcripturas, in quibus malè intellectis, & ad ſuas hæreſes prauè detortis, ſpem repoſuerant, è manibus eis extorquent; & ſpolia ipſorum, hoc eſt deprauatam ab ipſis & varijs imbutam erroribus multitudinem, tanquam victores inter ſe partiuntur, & ad pleniorem fidei Catholicæ intelligentiam ſenſim perducunt. Hoc illud eſt, in quo ne ab Impacatis neſcio quibus impediantur Miniſtri veſtri, Gedani, Rigæ, Torunij timent. Alioquin quanam cauſa alia timendi? Nam ſi diuerſitas ſola religionis timorem vobis incutit, & idcirco Catholicos, qua poteſtis ratione vrbibus & templis prohibetis; eadem prorſus ratione licebit Catholicis, vos vrbibus ſuis & templis prohibere: Cumq́; vos de hac re queri cœperitis, tale vobis reſponſum dare; Nos à maioribus noſtris, iā inde ab annis ſexcentis, in noſtris vrbibus Catholi-

Euangelici in ſuis ciuitatibus timēt diuerſitatem religionis.

cam fidem per manus acceptam profitemur, & cæremonias Catholicas, Sacramentaq; ritu Catholico vſurpamus; audimus verbũ Dei eo ſenſu, quo à maioribus noſtris ſemper eſt intellectum; Pontificem Romanum pro vniuerſali paſtore Eccleſiæ agnoſcimus; imagines vetuſto more in Eccleſijs noſtris retinemus, & debitam illis venerationem adhibemus. Habemus fidem noſtram tot maiorũ noſtrorum priuilegijs munitam: Vos Euangelici vnde eſtis? vnde veniſtis? quis vnquam maiorum noſtrorum de vobis fãdo aliquid inaudiuit? Nouis rebus ſtudetis; vetera inſtituta conuellitis. Veremur ne à vobis Impacatis, in vſurpatione religionis noſtræ impediamur? Alias ergo ſedes quærite: Abite in pace. Gratané tibi eſſet hæc Catholicorum, Pacate, excuſatio? an non contra illam, Confœderationem tuam exciperes? Atqui tui ingenij fœtus iſte eſt; tua hæc defenſio, qua Euangelicis Gedanenſibus, Rigenſibus, Torunenſibus patrocinaris: vt oſtendas meritò illos ab Impacatis, id eſt Catholicis Concionatoribus, in ſuis vrbibus metuere, ac proinde aditum ipſis ad eas intercludere.

Quare & Catholici meritò timere eam debent.

Sed dic quæſo, quànam ratione iſti Impacati, tantis ciuitatibus tantopere metum inijciant? *Sunt*, ais, *quidam, qui vbi clàm etiam ciuitatem aliquã ingreſſi, domunculam primùm quandam inhabitandam impetrârunt, mox ſacella, mox templa, mox Parochias & Eccleſias Cathedrales, fraude nonnunquam & vi inuadũt, & occupant; & quia hæreticis fidem non ſeruandam credunt, omni ipſos quos falsò hæreticos putant libertate paulatim priuare, omne ſuæ religionis exercitium ipſis eripere, cultuſq; ſuos inuitis obtrudere conantur. Date vades, aliter vos facturos: hæreticis fidem ſeruandam docete & ſeruate: mitiores iſtas ciuitates, multumq; de iure ſuo remittentes videbitis.* Si licet coniecturam facere, videris mihi his verborũ ambagibus Ieſuitas velle notare. Ab his enim potiſſimùm hæreticæ ciuitates ſibi metuunt, præſertim de quibus agimus. Sed ſi me non fefellit coniectura, & verè mentem tuam attigi, tu ſanè plurima paruo verborum circuitu, contra Ieſuitas mendacia es complexus. 1. Clàm eos hæreticam ali-

Pacatus tacitè notat Ieſuitas.

Sed multa contra eos mentitur. Primum mẽdacium.

eam aliquam ciuitatem esse ingressos. Nam Rigam intrârunt, Serenissimi olim Stephani Regis voluntate & authoritate: Gedanum & Torunium, ab Episcopis earum ciuitatum Catholicis sunt introducti. *Secundum.* 2. Sacella, Templa, Parochias, Cathedrales Ecclesias fraude, nonnunquam & vi inuasisse & occupasse: Prægnans videlicet mendacium, in singula verba gradatione quadam crescens; ita vt non Iesuitas mendacijs onerare, sed teipsum mentiendo superare velle videaris. Nam quibus authoribus Iesuitæ ad prædictas ciuitates sunt ingressi, eorum etiam beneficio templa, vel sacella, in quibus rem diuinam facerent, & saluti proximorum vacarent, sunt consecuti. *Tertium.* 3. Fidem hæreticis seruandam non esse, eos credere: Refellit abundè hoc mendaciũ Martinus Becanus Iesuita, in Opusculo de hac re conscripto. *Quartum.* Quod si legisses, non ita impudenter mentitus fuisses. 4. Hæreticos paulatim libertate priuare, omneq; illorum religionis exercitium ipsis eripere: Huius tam perspicui mẽdacij, testes sunt tres nominatæ ciuitates, in quibus post Iesuitarum aduentum, hæretici sunt hæretici, & palàm libereq; hæresi suæ indulgent. *Quintum.* 5. Cultus suos inuitis, eos obtrudere: Non inuitis cultus suos Iesuitæ obtrudunt, sed volentes & sponte ad se accedentes, de religione Catholica, & erroribus Ministrorum vestrorum apertissimis instituunt. Quando enim illi in aliqua ex dictis ciuitatibus, hæreticorũ Ministrorum conscensis cathedris, doctrinam suam & fidẽ nolentibus auditoribus obtruserunt? *Sextum.* 6. Datis vadibus, aliter Euangelicos illarum ciuitatum cum Iesuitis acturos. Nulli vades, vt Iesuitis sint beneuoli hæretici sufficient. Ecce fidem eis seruandam Iesuitæ docent & seruant, & nihilominus mitiores illas ciuitates experiuntur.

Pergis. *Idem de Elbinga sperate.* Quid nos quæso, in eam spem inducat? cùm videamus hanc ciuitatem, obstinatissimo animo edicta Regia paruipẽdere, nec templo Catholicis legitimè seruatoq; iuris ordine adiudicato, cedere vllatenus velle. Hæc verò est obedientia, quam noui Euangelici asse-

lici asseclæ magistratibus suis legitimis deferunt. Rigenses quoq; non excusas modò, sed etiam mirificè commendas, quòd Catholicum quendam apud se defunctum, ipsimet pompa funebri ad suam Ecclesiam extulerunt. Ego verò ostendere mihi posse videor, nullam eos commendationem hoc nomine, sed vituperationem potiùs maximam mereri. Primùm, quòd hominem idololatram (tales enim sunt Euangelicorum sententia, Papistæ omnes) in sua Ecclesia sepelire, inter veros Christi cultores voluerunt. At verò, *quæ pars fideli cum infideli*, ait Apostolus? *Quis consensus templo Dei cum idolis?* Quomodo ergo Rigenses commendandi, qui apertissimo Dei verbo contrauenerunt? Deinde: quòd supremam ciuis sui non postremæ notæ, & boni nominis voluntatem, contra omnia iura violârunt. Nam Catholicus homo, non inter hæreticos, quos viuus erat detestatus, sed inter Catholicos, inter quos in castris Ecclesiæ Catholicæ militârat, quiescere defunctus voluit. Ad hæc, contra libertatem religionis grauiter peccârunt. Quæ enim hæc libertas est, vt Catholicis hominibus, in hæretica ciuitate funera Catholico ritu efferre non liceat?

Rigenses peccârunt, sepeliendo in sua Eccle sia Catholicum quendam.

2. Cor: 6.

Sed obijcis. *Ritus Romanos Rigenses negligi voluerunt, quòd ij neq; circa Christum, neq; Apostolos sepultos vsurpati fuerint.* Dic tu sodes, ritus Euangelici, quos in efferendis cadaueribus vestris obseruatis, num circa Christum, aut Apostolos sepultos fuerint vsurpati? Certè Christus legitur sepultus sine cantu; vos inter deducendum funus, modulatè cantillatis: Christi sepulturam nulla cōcio vllius Apostoli honestauit; vobis in more est tùm maximè contra purgatorium, & orationes pro mortuis, impudenter, & imperitè concionando debacchari: Christi mortui corpus aromatibus, & vnguentis preciosis fuit conditum; quam gratiam nescio an vestris corporibus passim faciatis. Quàm ineptus ergo es, qui Catholicis id obijcis, vnde teipsum expedire nulla ratione possis. Pergis; *non esset tutum vobis ritus vestros publicè permittere.* Cur autem quæso, tutum erit, vestros ritus vobis, in Ca-

Inanis Pacati ratio contra ritus funebres Catholicorum.

Euangelici indicant nō

esse sibi tutum, vt ritus Catholicos in suis ciuitatibus permittãt.

tholicis ciuitatibus permittere? Sed cedo causam periculi. *Norunt*, ais, *Rigenses, quod sit vestratium ingenium, alienoq; malo edocti cautiores esse volunt. In quocunq; loco Sacro pedẽ semel figitis, siue per fores, siue per fenestras, siue subter limẽ ingrediamini; hunc mox quo iure, quâ iniuriâ vestrũ facitis, nec vllo modo inde veris dominis ceditis.* Iterum Iesuitas mendaciter sugillans, verba mihi suppeditas, quibus Ministros Euangelicos egregiè depingam. Horum enim est ingenium non per ostium, sed siue per fores, siue per fenestras, siue subter limen ingredi. Sunt enim ex eorum furum numero, quos Christus apud Ioannem descri- bit, qui in ouile ouium, non per ostium, sed aliunde intrant, vt mactent oues & perdant. Quo enim ostio primi Ministri Euangelici in Poloniã sunt ingressi? quis eis ostiarius aperuit? cuius vocatu sunt acciti? quis Episcoporum eos accersiuit? quis potestatem cõcionandi & Sacramenta ministrãdi fecit? Porrò semel per interruptam maceriam vel alia ratione furibus propria ingressi, nullo iure, sed summa potiùs iniuria, Ecclesias Catholicas, suas fecerũt, indeq; nullo modo veris possessoribus, Episcopis, Parochis, & religiosis cedere volunt: hospites nec inuitati, ad irruendum furtim faciles, expulsu verò perquam difficiles.

Ioan: 10.

Fabula de Cracouien- sibus Monachis per Iesuitas tẽpli possessione exutis.

Tu perge Pacate, criminari Iesuitas. *Accidit*, id ais, *Monachis Cracouiensibus, in quorum templum cùm hedera Iesuitica semel irrepsisset, perpetuò tẽpli possessione boni illi Monachi exclusi sunt.* Boni tibi sunt Monachi, non quòd eos bonos esse sentias qui hostis omnium religiosorum es; sed vt Iesuitas traducas, sugilles, & in grauiorẽ inuidiã voces, qui bonos Monachos, indignissimè suis ædibus temploq; excluserunt. Sed cur istos bonos Monachos non nominas? Credo ideò, quia nominare etsi velles, non potes. Quî enim id possis, nisi nouos aliquos Cracouiæ Monachos qui in ea vrbe nunquam sunt visi, nunquam auditi, impudentissimè velis mentiendo confingere. Hos itaq; bonos Monachos nullius ordinis & instituti, qui pedem nunquam Cracouiæ posuerunt, Iesuitæ per summũ nefas contra sacrum hospitij ius templo excluserunt. Non

te pudu-

te puduit Pacate, tam crasso & putido mendacio chartas tuas polluere?

Deinceps declamitas verbosè in Catholicos, & de eis quereris, quòd non solùm vobis pacem viuis concedere nolint; sed etiam cadauera vestra suis cœmeterijs excludãt. Non est quod queraris Pacate; rectè faciunt, Apostoli iudicium & volũtatem secuti: *Quæ enim pars fideli cum infideli?* ait ille. Satis est quòd vos funera vestra publicè efferre patiuntur. *Debetis hoc,* ais, *nisi iuri diuino, nisi patrio contraire, nisi Regum promissa Reiq; publicæ nostræ pacta irrita esse velitis.* Quod quæso, ius diuinum extat, de hæreticorũ funeribus luce palàm, cum certis ritibus inter Catholicos efferẽdis? Si enim de tali hæretica sepultura, est aliquod ius diuinum, necesse est vt de ipsa quoq; hæresi sit ius diuinum: sepultura enim est, publica quædam fidei protestatio; & inter Christianos, est publica significatio, eum qui cum certis cæremonijs Christianis vsitatis sepelitur, cum spe beatitudinis cœlestis esse defunctum. Quæ significatio apud hæreticos falsa est; nulla enim illis spes est beatitudinis, si in sua hæresi obfirmati decedant. Quonam igitur pacto fieri potest, vt hæretica sepultura sit iuris diuini? Visné ius diuinum hæresib⁹ patrocinari? Quæ hæc est tua impietas? Quod ad ius patrium attinet, hoc nullum est aliud quàm Confœderationis, quod quidem iuris nomen & rationem, apud nos obtinere nunquam probabis. Sed sit aliquod tale ius, certè vtriq; parti in religione dissidenti debet id esse æquale. Est enim ius, vt dicitur Confœderationis: Confœderatio verò est ius duarum partium, fœdere & pacto inter se vnitarum. Atqui Catholici apud vos gaudere iure isto non sinuntur. Tute enim ipse fateris; *Non esse tutũ ritus sepulturæ Romanenses publicè nobis permittere.* Ergo iam in hac parte, à fœdere semel inito receditis, quod vobis minimè tutum esse arbitramini. Cur ergo eodem iure Catholici debeant esse obligati? Solue mihi hunc nodum, Pacate. An non audisti illud vetus; *Frãgenti fidem, fides frangatur eidem.*

2. Cor: 6.

Nullum est ius diuinum de hæretico rũ solenni sepultura.

Euangelici violant Cõfœderationem, dum Catholicis publica funera prohibent.

Deinde accusas grauissimè, cadauera vestra ex sepulchris eruta mutilari à nostris, spoliari, & canibus, volucribusq; dilanianda proijci. Sicubi factum id est, non probamus, imò tecũ damnamus; si temerè & sine authoritate publica factum est. Nam exhumationem cadauerum vestrorum in templis nostris sepultorũ, accusare non potes; quæ pœna quædam est legitima, in hæreticos Ecclesiæ authoritate constituta. Nam qui templa nostra detestati sunt viui, cur ea cadaueribus suis occupare debent defuncti? Non meministi quod supra retuli, D. Ioannem Apostolum balneum in quo Cerinthum hæreticum lauisse cognouerat, ne ingredi quidem voluisse, vt memoriæ prodidit Irenæus. (*lib: 3. c. 3.*) Quî ergo nos acusandi sumus, si templa quæ hæreticorum cadaueribus sepulturam præbuerunt, ingredi nisi cadaueribus illis eiectis nolumus? Legistinè factum Samosathenorum Catholicorum, qui quum ad balneum venissent, in quo Eunomius hæreticus lauerat, illo egresso, omnẽ aquam è balneis per cuniculos in cloacam emiserunt, & recentem affundi curârunt. (*Theodoret. lib: 4 hist: cap: 14.*) Vis tu nos minùs religiosos esse in tẽplis, quàm illi fuerint in balneo? Quanquam quid tu id crimini obijcis Catholicis, quo ipso Euangelici tui fratres rei manifestè tenentur? Quàm multa non vulgarium Catholicorum, sed sanctissimorum hominum corpora, sacrosq; cineres, Hugonotæ tui in Gallia, plusquàm barbarico furore exhumatos è templis proiecerunt, & indignissimè tractârunt? Engolismæ SS. Eutropij, & Benigni effosa corpora, flãmis subiectis publicè concremârunt. (*Euangelici quopacto sæuierunt in Sanctorum monumẽta & corpora.*) Sancti Eparchi capite, tãquam globo missili, ad metam petulantissimè colluserunt. Alibi etiam varijs locis incredibili cum impietate, capiti S. Matthiæ Apostoli Barberiaci: parti cranij S. Ioannis Baptistæ, in oppido cui à Sanctis Angelis nomen est: portioni sanguinis eiusdem Præcursoris, quæ Vasati asseruabatur: reliquijs item S. Hilarij Pictauis: S Martini Turonis: S. Aniani Aureliæ: S. Irenæi Lugduni: S. Iuliani Cenomanis: S. Eutropii Strausicæ, infinitas contumelias intulerũt. Po-

ſtremò ne quid crudelitatis deeſſet, Vzeſtæ in agro Bazatẽſi, corpus Clementis V. Pont. Max. extractum è tumulo, eadem barbarie tractârunt, & in ſepulchra Regum ac Principum, immaniſſimè ſunt debacchati. Quæ omnia fuſè Ludouicus Richeomus in doctiſſimo opere, quod Idololatriã Hugonoticam inſcripſit, perſequitur. *li: 2. c. 26. & ſequ.* Audebiſné iſtorum omnium corporibus tanta immanitate à vobis tractatis, cadauera tuorum Euangelicorum conferre? Non opinor eouſq; amentiæ progredieris. Nihil ergo iniuriæ vobis à nõnullis Catholicis illatum eſt, quod non abundè menſura conferta, & ſupereffluente alibi compenſaueritis. Interim manet probatum, pacem Confœderationis non eſſe Catholicis & Euangelicis æqualem; quod ex his quæ dicta ſunt, cuiq; liquido conſtabit, & tua ipſius, Pacate, conceſſione cõprobatur. Pax ergo Confœderationis non eſt pax.

CAPVT XVIII.

Ad ſextam rationem reſponſio Pacati excutitur.

SED ais; *Ad ſextam rationem accedendum eſt.* Accedamus; quo euentu, res docebit. *Pax Eccleſiæ Dei & Reipub. noxia, non eſt pax: ſed pax Confœderationis, & Eccleſiæ Dei & Reipub. noxia eſt: Ergo. Minorem probas, quòd Eccleſiæ Chriſti vinea, perfidia & hæreſibus, mirum in modum perturbetur & vaſtetur.* Mirum ſi hoc neges. *Sed iam ſupra perfidiam à nobis & hæreſim remoui.* Conatus es remouere, ſed fruſtra. *Et de hæreſibus paulò ſeciùs Paulus: Oportet & ſectas in vobis eſſe, quò qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos.* *1. Cor: 11.* *Vſq; adeò & hîc illud Poëtæ verum eſt: Aliquisq; malo fuit vſus in illo.* Hæreſes oportet eſſe, eo modo, quo homicidia, & adulteria, & alia grauiſſima ſcandala neceſſe eſt eſſe, ipſo Saluatore noſtro atteſtante: Sed quemadmodum homicidia, adulteria & alia grauiſſima ſcandala, non iccirco deſinunt Eccleſiæ & Reipub. eſſe noxia, quòd illa neceſſe eſt ſpectata hominum ad malum pronitate, & deprauata *Soluitur illud, oportet hæreſes eſſe.*

 viuendi

viuendi licentia existere; idem de hæresibus quoq; sentiendum & dicendum est. Neq; illud ignoramus, necesse esse lupos nasci; sed simul eorum generationem ouibus esse perniciosissimam, non ignoramus. Accipit quidem Ecclesia nonnulla commoda ab hæreticis; sicut olim accepit à tyrãnis Ethnicis; & sicut pastores accipiunt aliquid commodi à lupis, quorum ferocia viuentium ad vigilantiam excitantur, & mortuorum detractis pellibus, à frigoris asperitate defenduntur: Tyranni tamen non desinunt ex se esse tyranni, Ecclesiæ & Reipub. perniciosi; & lupi non desinunt esse ex se lupi, gregibus ouium infesti; & hæretici non desinunt esse ex se hæretici, Ecclesiæ & Reipub. Christianæ noxij, quantumuis Dei prouidentia, & Pastorum Ecclesiæ, & Reipub. rectorum industria; nonnulla ex illorum venenis pharmaca conficiantur. *Nec Reipub. Confœderatio nocet.* Videamus quo pacto id probes. *1.* inquis, *religionem non conuellit aut tollit, sed stabilit, & ad Deum colendum omnes inuitat.* Hoc perinde est, ac si quis dicat, permissionem adulteriorũ publicorum, non esse Reipub. noxiam: quia castitatem & pudicitiam non conuellit aut tollit, sed stabilit, & ad eam colendam omnes inuitat. Acuta & digna Pacato probatio.

Soluuntur rationes Pacati, quibus probat Confœderationẽ Reipub: nõ nocere.

2. *Quia Confœderatio ex nostra parte nouitatem, & mutationem in religione non inducit; sed antiquam illam Christi, & Apostolorum doctrinam, nouis quorundam dogmatis, & traditionibus vix non oppressam, in templa sua reuocat.* Cur ergo vos Reformatos, & Reformatores appellatis, si nulla per vos religionis mutatio facta est? Potestné aliquid sine mutatione & aliqua nouitate reformari?

Sed reuocastis, ais, *antiquam illam Christi & Apostolorum doctrinam.* Vis te falsi conuincam? Dic age. Quando Christus vel Apostoli docuerunt, Ecclesiam defecturam, & veram religionem traditionibus, vix non esse opprimẽdam, quod vos passim imperitissimè & falsissimè iactatis? Hoc non est Christi & Apostolorum dogma, sed Donatistarum hæreticorum. Contra quos illa præclarè August: *Sed illa Eccle-*

Conc: 2. in Psal: 101.

illa Ecclesia quæ fuit omnium gentium, iam non est, perijt. Hoc dicũt, qui in illa non sunt. O impudentem vocẽ! Illa non est; quia tu in illa non es: Vide ne tu ideo non sis; nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem & detestabilem, præsumptionis & falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam præuidit Spiritus Dei. Si ergo Ecclesia Christi & Apostolorum nunquam perijt, nunquam defecit; nunquam etiam religio Christi & Apostolorum, nouis dogmatis & traditionibus ita oppressa est, vt reuocari, & nouis Reformatoribus egere debuerit.

3. *Quia Confœderatio nec humanæ societatis vinculum, nec veræ fidei consensum tollit.* Imò tollit, quia fouet hæresim, quæ religionem societatis humanæ præcipuum vinculum, & veræ fidei consensum tollit. Et mirum est, te id animaduertere nolle. Confœderationem enim vocatis, pacem inter dissidentes in religione: necesse est ergo non esse inter eos fidei consensum, qui inter se religione dissident. Addis; *neq; Confœderatio quenquam præcisè damnat, in quo aliquid Christi inuenit: quin & cum Ethnicis & Publicanis, cum Iudæis & Samaritanis pacem, concordiam, & beneuolentiam expetit, Samaritani illius, de quo apud Euangelistam, & D. Pauli exemplo mota.* Hoc verò est, quod extremam Reipub. Christianæ perniciem vnicũ potest afferre. Quod miror à te scripto proditum esse. Si enim Confœderatio neminem damnat, in quo aliquid Christi inuenit; ergo nihil est aliud, quàm omnium hæresum, quantumuis absurdissimarum & perniciosissimarum colluuies & sentina. Nulla enim vnquam propriè dicta hæresis, post Euangelium promulgatum extitit, in qua non aliquid Christi inueniri potuerit. Necesse est ergo authores Confessionis Augustanæ insigniter esse mentitos, qui tã multos hæreticos condemnârunt, in quibus tamen aliquid Christi repererint; vt Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Samosatenos, Pelagianos, Manichæos, Entusiastas, Anabaptistas, Donatistas, Nouatianos. Accipe in manus Confessionem ipsam, & ita esse rem comperies. Quod si

Confœderatio est omnium hæresum sentina.

Pacati mẽdacium.

 authores

authores illius Confessionis animi sui sententiam verè scripto expresserunt, & reuera pro hæreticis quos recensui habuerunt; necesse est te insigniter mentiri, qui asseris ab ijs, qui Confœderationem expetũt, præcisè damnari nemine, in quo aliquid Christi reperiatur. Quanquam alia etiam ratione facilè ostenditur, falsum id esse quod scribis. Nam qui Confœderationem præcipuè vrgetis, Lutherani & Caluinistæ estis, mutuoq; vos hæresis damnatis, tametsi vtrinque aliquid Christi retineatis.

Quod autem ais, *expetere Euangelicos concordiam & beneuolentiam, etiam cum Ethnicis & publicanis, cum Iudæis quoque & Samaritanis*; facilè crediderim. Nam Euangelici faciliùs cum istis omnibus, quàm cum Romanæ & Apostolicæ fidei sectatoribus, concordiam & beneuolentiam colunt. Faciliùs enim induci possunt, vt in terris vbi dominantur, Iudaicos ritus, quàm vetustissimas Ecclesiæ Romanæ cæremonias tolerent. Samaritani verò exemplum minimè eos iuuat. Neq; enim ille cum latronibus & sicarijs, qui miserum viatorem spoliauerant, & plagis impositis semiuiuum reliquerant, fœdus inijt; quin si eos deprehendisset, captos magistratui tradidisset, vltimo supplicio afficiendos. Cur igitur Euangelici volunt, vt beneficio Cõfœderationis liceat per Catholicos Ministris, qui verissimi animarum sunt prædones, impunè grassari, & grauissima hæresum vulnera miseris mortalibus infligere? Sanctus quoq; Paulus diligebat quidem Iudęos, nondum ad Christi fidem conuersos, in quorum salutem, toto pectore incumbebat; sed Confœderationem certè nullam cum hæreticis inijt, qui à Christi fide semel suscepta, impiè desciuerant, & qui repulsa bona conscientia, circa fidem naufragauerant: Quin potiùs ex hac colluuie Hymenęũ & Alexandrũ Sathanæ tradidit, vt discerent non blasphemare. Si ergo Apostoli Pauli exemplũ sequi velimus, hæretici, præsertim Ministri, non Cõfœderatione aliqua sunt dignandi, sed Sathanæ potiùs, ne blasphement, tradendi: Omnis etiam conscientiæ &

Paulus non habuit Confœderationem cum hæreticis.
1. Tim: 1.

entiæ & religionis libertas, vel ipso authore Beza, detestanda est & abominanda. Sed authoritatem Bezæ dupliciter Pacatus vult eludere. Primum, *quòd Euangelici Bezam pro dictatore non habeant, cuius dictis refragari non liceat.* Ita quoq; ego sentio de vobis. Omnes enim dictatores estis, omnes Doctores, omnes Pastores, omnes à Deo docti: nullus inter vos Magistratus, nulla Doctorum prærogatiua. Estis proinde ædificatores turris Babel, qui linguis à vobis dissidetis, qui Doctorum vestrorũ placita quæ vultis admittitis, quæ vultis repudiatis. Deinde ait Pacatus, à Beza eam libertatem religionis damnari, qua fretus quisque, *quo volet modo Deum colat.* At verò ais, *nos non talem libertatem expetimus, vt quomodo volumus Deum colamus: imò non ad nostrum, non ad vllius hominis placitum; sed ad normam ab ipso Deo præscriptam, Deum colendũ contendimus.* Pia admodũ & religiosa oratio, quæ quàm vera sit, iam videro. Si enim vos Euangelici, Lutherani, & Caluiniani, ad normam ab ipso Deo præscriptã Deum colitis; cur in modo Deum colendi non conuenitis? non conuenire autem, vel inde patet, quòd diuersas Ecclesias habetis, diuerso modo cœnam Domini vsurpatis, diuersè scripturas exponitis, & alteri alteris hæretici estis. Nunquid aliam normam Lutheranis, aliam Caluinistis, cultus sibi debiti Deus præscripsit? At hoc quis credat? Si ergo in modo colendi Deum ab inuicẽ differtis; clarum est vos diuersam colendi Deum normam sequi: quam cùm vtriq; parti Deus non præscripserit, *(non enim est dissensionis Deus sed pacis,)* sequitur vos eo modo, quo vobis collibitum est, Deũ colere, nec in modo colendi ipsum, normam ab illo præscriptam præ oculis habere. Nihil ergo effecisti ratiunculis tuis friuolis, Pacate, quibus ostendere conatus es, pacem Cõfœderationis perniciosam Ecclesiæ & Reipub: non esse; ac proinde fateri te necesse est, pacem illam dici nõ posse, quæ in manifestam Ecclesiæ & Reipub. vergit detrimentum.

Euangelici talem poscunt religionis libertatem qualem Beza improbat.

CAPVT

CAPVT XIX.

D. Augustinum sensisse, hæreticos ad fidem esse cogendos ostenditur.

VIdetur sibi Pacatus ex D. Augustino probare posse, neminem hæreticum ad fidem Catholicam esse cogendū, sed cuiusuis arbitrio, & libertati, fidē esse permittendam. Quare fidenter sic Authorē PACIS NON PACIS alloquitur: *Et quia Augustinum allegas, eumq́ tantopere crepas, vt eius definitioni vt sententiæ, stare velle videaris, accipio & ego conditionem.* Bonum factum, quòd hanc conditionem accipere, & Augustini sententiæ stare velis, qui paulò antè Bezam pro Dictatore agnoscere nolueras. Audi itaq; Augustinum alloquentem Donatum: *Neminem existimas cogendum esse ad bonum. Attende quid Apostolus dixerit: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit; & tamen tam multi, vt Episcopatum suscipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni: quantò magis vos ab errore pernicioso, in quo vobis inimici estis trahendi estis, & perducendi ad veritatem, vel cognoscendam vel eligendam? Dicis, Deum dedisse liberum arbitrium, ideo non debere cogi hominem, nec ad bonum. Quare ergo illi, de quibus supra dixi, coguntur ad bonum? Si voluntas mala, semper suæ est permittenda voluntati; quare monetur pater in scripturis, filium durum non solùm verbis corripere, sed etiam latera eius tundere, vt ad bonam disciplinam coactus, & domitus dirigatur?* Hæc ille: cuius verba adeò aperta sunt, vt declaratione non egeant. Et alio loco: *Si potestate quam per religionem ac fidem Regum, tempore quo debuit, diuino munere accepit Ecclesia, hi qui inueniuntur in vijs & sepibus, id est in hæresibus & schismatibus, coguntur intrare; non quia cogũtur reprehendant, sed quo cogantur attendant.* Et ibidem: *An nõ pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oues, quæ non violenter ereptæ, sed blandè leniterq́ seductæ à grege aberrauerint, & ab alienis*

Epist: 204. ad Donatū.

Epist: 50. ad Bonifacium.

alienis cœperint possideri, inuentas ad ouile dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus reuocare.

Sed ex omnibus locis, in quibus Augustinus suam hac de re sententiam aperuit, ille est clarissimus. *Mea*, inquit, *primitùs sententia erat, neminem ad vnitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc mea opinio, non cōtradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exēplis. Nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota esset in parte Donati, ad vnitatem Catholicam, timore legū Imperialium conuersa est. Ita aliæ multæ; quæ mihi commemorabantur; vt ipsis rebus agnoscerem, etiam in hac causa rectè intelligi posse, quod scriptum est: Da sapienti occasionem, & sapientior erit. Quàm multi enim, quod certò scimus, iam volebant esse Catholici, manifestissima veritate commoti, & offensionem suorum reuerendo, quotidie differebant? Quàm multos non veritas (in qua nunquā præsumpsistis) sed obduratæ consuetudinis graue vinculū colligabat, vt in eis compleretur diuina illa sententia: Verbis non emendabitur seruus durus. Si enim & intellexerit, non obediet? Quàm multi propterea putabant veram Ecclesiam esse partem Donati, quia eos ad cognoscendam Catholicam veritatem, securitas torpidos, fastidiosos, pigrosq́; faciebat? Quàm multis aditum intrandi, obserabant rumores maledicorum? Quàm multi nihil interesse credentes, in qua quisq; parte Christianus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere, atq; ad Catholicam nemo transire cogebat? His omnibus legum terror, quibus promulgandis Reges seruiunt Domino in timore, ita proficit, vt nunc alij dicant: Iam hoc volebamus; sed Deo gratias qui nobis occasionem præbuit, iamq́; faciendi, & dilationum morulas amputauit. Alij dicant: Hoc esse verū iam sciebamus, sed nescio qua consuetudine tenebamur: Gratias Domino qui vincula nostra dirupit, & nos ad pacis vinculum transtulit. Alij dicant: Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus; sed nos ad eam cognoscendā metus fecit attentos, quo timuimus, ne fortè sine vllis æternarum rerū lucris, damno rerum temporalium feriremur: Gratias Domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit, vt saltem solliciti quæ-*

Epist: 48. ad Vincēt.

D. Augustinus sēsit aliquando neminem esse ad fidem cogendū, sed postea sententiā mutauit.

Experientia didicit August: vtile esse hæreticos ad fidem cogi.

reremus, quod securi nunquam nosse curauimus. Alij dicant: Nos falsis rumoribus terrebamur intrare, quos falsos esse nesciremus, nisi intraremus, nec intraremus nisi cogeremur: Gratias Domino, qui trepidationem nostram flagello abstulit, expertos docuit, quàm vana & inania de Ecclesia sua, mendax fama iactauerit. Hinc iam credimus & illa falsa esse, quæ auctores huius hæresis criminati sunt, quando posteri eorum, tam falsa & peiora finxerunt. Alij dicant: Putabamus quidē nihil interesse, vbi fidem Christi teneremus: sed gratias Domino qui nos à diuisione collegit, & hoc vni Deo congruere, vt in vnitate colatur ostendit. Potesné, Pacate, in hoc genere, quicquam ab Augustino desiderare clariùs, & explicatiùs? Non enim solùm docet licere cogi hæreticos ad fidem, sed etiam eiusmodi coactionem plurimùm ipsis hæreticis profuisse: maximè quòd coacti, conciones Catholicas audiebant, in quibus pedetentim discebant, quàm indignis & insulsis mendacijs, Ecclesia Catholica à magistris errorum oneraretur, quibus dum ipsi fidem adhiberent, ab eadem abhorrebant, & sic de salute æterna periclitabantur. Quam vel vnicam puto esse causam, cur vulgus rude hæreticorum, Romanā Ecclesiam his temporibus detestatur. Adeò enim multis Ministrorum mendacijs, quæ de illa cōfinxerunt, imbutum est, vt nec nomen quidem Papæ, Purgatorij, Inuocationis Sanctorum, Missæ, & similium ferre possit. Quod si pœnarum aliquarum obiecto metu, ad templa Catholica, & Prædicatores in eis audiendos compelleretur, agnitis Ministrorum imposturis, nullo negotio, commutato odio, Magistros errorum detestaretur, & Doctores veritatis diligeret; & ita ad sanam Catholicam, & Apostolicam Romanam fidem rediret.

Ad extremum, illud quoq; perspicuè docet D. August: Magistratum plebi religionem liberam relinquere non debere. Sic enim alicubi ait: *In hoc Reges, sicut eis diuinitùs præcipitur, Deo seruiunt, in quantum Reges sunt, si in Regno suo bona iubeant, mala prohibeant; non solùm quæ pertinent ad humanam societatem, verumetiam quæ pertinent ad diuinam religionem.* [lib. 3. contra Cresc. c. 51.] *Frustra dicis: Re-*

eis: Relinquas libero arbitrio. Cur enim non in homicidijs & in stupris, & in quibuscunq; alijs facinoribus & flagitijs, libero te arbitrio dimittendum esse proclamas? Quæ tamen omnia iustis legibus comprimi, vtilissimum ac saluberrimum est. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem, sed nec bonam infructuosam, nec malam voluit esse impunitam. Cuius etiam sunt illa præclara, contra hæreticos, libertatem errorum, & hæresum impunitatem, importunis vocibus efflagitantes. *Dicitis,* ait; *Nulla hominis potestas contradicat, atq; obstrepat nostro libero arbitrio, quando iniuriam facimus Deo. O dolor! fraudata sunt tali magisterio tempora antiqua, quoniam nõdum eras natus.* (alloquitur Gaudentium hæreticũ) *quando sanctus Moyses, iniurias suas lenissimè pertulit, Dei verò seuerissimè vindicauit. Tu autem Doctor, hæretica præsumptione inuidiosissimè clamas: Fecit Deus hominem, & dimisit eum in manu arbitrij sui. Quid mihi nunc humano imperio eripitur, quod largitus est Deus? Hoc videlicet flagitans, vt ad faciendas iniurias Deo, qui cum libero arbitrio fecit hominem, liberum arbitrium tibi relinquatur ab homine. Datum est, homini quando creatus est, liberũ arbitrium, sed vt si esset malefaciens, fieret patiens.* Audisti Pacate, sententiam Augustini verbis eiusdem breuiter explicatam; & quia conditionem accepisti, tanti Doctoris definitioni acquiesce.

Obiectionẽ de libero arbitrio soluit Augustinus.

lib: 2. contra Gaudẽt. cap: 11.

Sed ais, contrarium alibi Augustinum docere, & verba eius ex epist: 50. describis. Quo loco mirari satis nõ possum tuam vel inscitiam, vel malitiam: inscitiam, quòd eam epistolam Augustini pro te allegas, cuius vel solius authoritate damnâris: malitiam, si conscius epistolam illam contra te facere, nihilominus nonnulla ex ea verba in alium sensum detorta, transcribere quasi tuo instituto accommodata volueris. Sed quicquid sit, inscitia vel malitia peccaueris; ego in gratiam Euangelicorum, quibus nonnullis Augustini sententijs fucum facere voluisti, breuiter epistolæ à te citatæ argumentum proponam. In illa ergo epistola D. Augustinus totus ferè in eo est, vt ostendat consultissimum fuisse Honorij Imperatoris legibus, Donatistas ad Catholicã Ecclesi-

Argumentum epistolæ 50. D. Augustini quam putat Pacatus facere pro se, cùm illi è diametro aduersetur.

Ecclesiam compelli. Et initiò quidem ait; Ipsos Donatistas contra Cæcilianum Episcopum Carthaginensem Catholicum, traditionis librorum Sacrorum insimulatum, legem ab Imperatore Constantino postulâsse, & ad eius iudicium, ipsum pertraxisse puniendum: postmodum verò, dum Episcopi Catholici Imperatorem Honorium ad leges contra ipsosmet Donatistas ferendas induxerunt, iniquo id eos animo tulisse, & factum vt minimè Christianum reprehendisse. *Quod,* inquit August: *in nobis modò reprehendunt, vt decipiant imperitos, non debere Christianos, contra inimicos Christi aliquid à Christianis Imperatoribus postulare, ipsi priores fecerunt.* Mox subdit hæc: *Hoc contingit Donatistis, quod accusatoribus S. Danielis. Sicut enim in illos leones, sic in istos conuersæ sunt leges, quibus innocentem* (scilicet Cæcilianum) *opprimere voluerunt; nisi quòd propter misericordiam Christi, magis pro eis sunt istæ leges, quæ illis videntur aduersæ, quoniam multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur, & se esse correctos gratias agunt, & qui oderant diligunt: molestasq; sibi fuisse saluberrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur, & in residuos, cum quibus erant perituri, iam simili dilectione vt pariter instemus, ne illi pereant, nobiscum excitantur.* Pluribusq; deinceps probat, licere ad bonum homines Imperatorijs legibus cogi, & ex ea coactione plurima bona existere: nec dubitat eam coactionem misericordiam appellare. *Magna,* inquit, *fit in eos,* (id est Donatistas) *misericordia, cùm per istas Imperatorū leges, ab illa secta prius eripiuntur inuiti, vt in Catholica postea bonis præceptis & moribus sanentur assueti.*

Misericordia esse dicit August: hæreticos ad fidem cogere.

Augustinus soluit rationes Donatistarum docentiū neminem ad fidem esse cogendum.

Docet postea, qua causa fuerint adducti Episcopi in Concilio Carthaginensi congregati, vt missa legatione, ab Honorio Imp: leges contra Donatistas pœnales postularēt. Mox Donatistarum argumentum, id consilium improbantium refellit, quod erat; Apostolos nihil tale à Regibus terræ postulâsse. *Quod enim,* ait, *dicunt, qui contra suas impietates leges iustas constitui nolunt, non petisse à Regibus terræ Apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi.*

Quis enim

Quis enim tunc in Christum credebat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo seruiret? Mox probat Imperatores, postquàm nomina suo Christo dederunt eidem seruire, legibus contra impietatem hæreticam ferendis debere: *Aliter,* inquit, *seruit Rex Domino quia homo est, quia etiam & Rex est. Quia homo est, seruit viuendo fideliter: quia verò etiã Rex est, seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti vigore sanciendo: Sicut seruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum destruendo: Sicut seruiuit Nabuchodonosor, omnes in suo regno positos à blasphemando, lege terribili prohibendo.* Soluit & alterum Donatistarum argumentum, nimirum melius esse ad Deum colendum homines doctrina duci, quàm pœnæ timore vel dolore compelli. Soluit inquam dicens: *Melius est quidem; sed non quia isti meliores sunt, ideo illi qui tales non sunt negligendi sunt. Multis enim profuit, quod experimentis probauimus, prius timore vel dolore cogi, vt postea possint doceri.* Soluit & tertium. *Proponunt,* inquit, *nobis sententiam cuiusdam secularis aucloris, qui dixit; Pudore & libertate liberos retinere satius esse, credo, quàm metu. Hoc quidem verum est; sed sicut meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt quos corrigit timor.* Soluit & quartum. *Vbi est quod isti* (id est Donatistæ) *clamare consueuerunt, Liberũ est credere vel non credere. Cui vim Christus intulit? quem coëgit?* Hoc obijciebant Donatistæ. Respondet Augustinus: *Ecce Paulum Apostolum; Agnoscant in eo priùs cogẽtem Christum, & postea docentem.* Hinc arrepta occasione sic argumentatur, ab exemplo ipsorum Donatistarum, qui ad suam hæresim multos cogebant. *Cur* inquit, *non cogeret Ecclesia perditos filios vt redirent, si perditi filij coëgerunt alios vt perirent?* Deinde subijcit verba, quæ initiò retuli, de diligentia pastorali, in ouibus errantibus, ad ouile dominicum flagellorum etiam terroribus, vel etiam doloribus reuocandis. Tum obiter ait, redeuntes à Donatistis ad Ecclesiam, non solere denuò baptizari, tanquam eos, qui iã dominico charactere sint consignati. *Sic enim,* inquit, *error corrigendus est eius, vt non in ea corrũpatur signaculum redemptoris.*

[Margin notes: 2. — 3. — *Terent: in Adelph.* — 4. — *Donatistæ tamẽ cogebant alios ad suam fidem.*]

Abutitur Pacatus verbis Augustini.

Quæ tu verba vel imperitè, vel frauduleter in eum sensum detorsisti, quasi Augustinus significare illis voluerit, hæreticos non esse ad fidem Catholicam metu pœnæ alicuius compellendos. Esse autem eam, quam dixi, Augustini mētem, clarissimè probo ex ijs, quæ paulò inferiùs scribit. Inducit enim Donatistam ita loquentem: *Quare me non baptizas, vt abluas me à peccatis?* Et mox ei respondet: *Quia non facio iniuriam characteri Imperatoris, cùm errorem corrigo desertoris.* Videlicet sentiebat Augustinus, non eo consilio cogi Donatistas ad Ecclesiam, quasi in ea iterato baptismo opus haberent, quod ipsi nescientes, putabant se rebaptizādos; quod si fieret, corrumpendum esse & violandum characterem Christi Augustinus affirmauit.

Deniq; post multa promittit Donatistarum presbyteris, & Episcopis, si ad Catholicam redirent, non eis honorem clericalem aut Episcopalem auferendum; etsi contrarium aliquando in redeuntes ad Ecclesiam hæreticos fuerit constitutum, idq; rigore disciplinæ. Cuius mutati consilij rationem eam subdit. *Cogunt enim multas inuenire medicinas, multorum experimenta morborum:* & necessariò statum rerum exigere aliquando, vt aliquid seueritati detrahatur, & in mitiorem partem inclinetur. *In huiusmodi,* inquit, *causis, vbi per graues dissensionum scissuras, non huius aut illius hominis periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid seueritati; vt maioribus malis sanandis, charitas syncera subueniat.* Quæ quidem verba à Pacato producta sunt, quasi per ea significaret Augustinus, omnem legum & pœnarum coactionē, ab hæreticis in causa religionis esse remouendam; cùm tamen Augustinus non loquatur de hæreticis nullatenus ad fidem cogendis, sed solùm de quadam pœna Ecclesiastica illis condonanda. Sed videlicet hic est mos hæreticorum, in referendis Patrum Veterū testimonijs, verba à proprio & ab ipsis authoribus intento, ad alienum & hęreticum sensum, sine vllo pudore & verecūdia, fallendi imperitos gratia detorquere, mutilare, & non habita antecedentium vel conse-

Pacatus verba Augustini detorquet in alienum sensum.

Mos hæreticorum in preferēdis testimonijs Patrum & scripturæ.

consequentium ratione, malè concinnare. Quod quidem eos in scripturis quoq; citandis & proferendis facere solere, multò ante notauit Augustinus, agens contra Manichæos: *Manifestè,* inquit, *apparet istorum fraus, qui particulas quasdam de scripturis eligunt, quibus decipiant imperitos, non connectentes, quæ suprà & infrà scripta sunt, ex quibus voluntas & intentio scriptoris possit intelligi.* Hæc ad verba D. Augustini ex epist: eius 50. à te producta dicta sint. *lib: contra Adimantū cap: 14.*

Affers alia ex epistola 127. quæ similiter ad tuum institutum nihil faciunt. Neq; enim in ea epistola docet Augustinus, non esse cogendos hæreticos ad fidem; sed non esse vltimo supplicio ob hæresim afficiendos. Hoc indicāt illa verba quæ tuipse profers: *Corrigi eos cupimus, non necari: nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec supplicijs quibus digni sunt exerceri.* Quæ verba cùm pro te adducebas, ausim affirmare, te quid scriberes non intellexisse. Duo enim in eis expressè affirmat Augustinus, quæ te vehementer vulnerāt. Vnum est, oportere hæreticos corrigi, & disciplinam circa eos non negligi; quo loco per correctionem & disciplinam, pœnarum aliquarum molestia intelligitur. Alterum, dignos esse hæreticos qui supplicijs exerceantur. Subscribisné huic Augustini doctrinæ, Pacate, vel non? Si subscribis, tuò iudicio & Augustini sententia victus es: Si non subscribis, cur eam tibi quasi patrocinantem, pro testimonio contra aduersarium tuum affers? O te stupidum, qui hæc non præuidisti! Sed ais, Augustinus non vult supplicijs hæreticos exerceri. Fateor, non quòd iis digni non sint (dignos enim esse clarissimè August. fatetur) sed quia visum illi est, magis ad Christianam mansuetudinem pertinere, vltimum de hæreticis supplicium non sumere. *Pacatus cōtra se producit Augustinum.*

Profers præterea verba Augustini ex ep: 203. eiusdē desūpta, pari quæ superiora fide, vel dicam veriùs perfidia. In ea epistola inuitat Augustinus Maximinum Episcopum Donatistam, ad disputandum secum, de negotio fidei & religionis: *Decreui,* inquit, *quantum vires & facultatem præbere Domi-*

re Dominus dignabitur, causam istam sic agere, vt pacificis collationibus nostris, omnes qui nobis communicant nouerint, ab hæresibus aut schismatibus quantum Catholica distet Ecclesia. Quam collationem mecum si libenti animo susceperis, vt concordibus nobis, amborum literæ populis recitentur, ineffabili exultabo lætitia: Si autem æquo id animo non accipis; quid faciam, frater, nisi vt te quoq; inuito, epistolas nostras populo Catholico legã, quò esse possit instructior. Quod si rescribere dignatus non fueris, vel meas solas legere decreui, vt saltem diffidentia vestra cognita, rebaptizari erubescant. Neq; id agam, cùm miles præsens est, ne quis vestrûm arbitretur, tumultuosiùs me agere voluisse, quàm ratio pacis desiderat, sed post abscessum militis. Sequuntur immediatè verba, quæ tu exscripsisti, sed mutila, & à superioribus auulsa, consueta hæreticis fraude: *Vt omnes qui nos audiunt intelligant, non esse propositi mei, vt inuiti homines ad cuiusquam communionem cogantur, sed vt quietissimè quærentibus veritas innotescat. Cessabit à nostris partibus, timor temporalium potestatum; cesset etiam à vestris partibus, terror congregatorum Circumcellionum. Re agamus, ratione agamus, diuinarum scripturarum authoritatibus agamus, quieti atq; tranquilli, quantũ possumus petamus, quæramus, pulsemus, vt accipiamus & inueniamus, & aperiatur nobis.* Quid quæso, te verba ista Augustini iuuant, ô lepide argumẽtator? Augustinus vult cum Donatista collationem de religione instituere, idq; militibus exclusis, ne vim adhibere velle videretur: Ergo sensit extra disputationem, non esse ab Imperatoribus hæreticos ad fidem cogendos? Quænam ista est consequentia in malesano Pacati cerebro nata? Nam disputatio certè vi & milite carere debet, vtpote quæ ad solam veritatis indagationem refertur. Sed nunquid ideo, quia disputatio debet esse cum hæreticis exarmata, & metu atq; coactione vacua; omnis propterea cessare vis debet magistratuum, ne vllo vnquam tempore in hæreticos de errore cõuictos exeratur? Similis est hæc altera Pacati tacita argumentatio. Augustinus vult in disputatione cũ hæreticis re agi, ratione agi, diuinarum scripturarum authoritatibus agi; non ergo vult

vnquam

vnquam cum illis metu pœnarũ agi. Satiſné intelligis, Pacate, quàm inſulſus, & quàm parum ſolicitus fueris, ne ab aliquo inſcitiæ vel fraudis manifeſtæ arguereris? Fraus enim inſignis eſt, ſententiã Auguſtini ab illis verbis ordiri: *Vt omnes qui nos audiunt, intelligant*; nec vllam collationis de qua agebatur mentionem facere; vt hac ratione incautus lector exiſtimaret ſenſiſſe Auguſtinum, non aliter vnquam cum hæreticis, niſi re, ratione, & ſcripturarum authoritatibus agi oportere.

Pacatus fraudulenter protulit verba Aug.

Sed ecce Pacatus ſeipſo fit paulatim ſtupidior. Quaſi enim re ex animi ſui ſententia confecta, ita auctorem PACIS NON PACIS alloquitur: *Hæc tuis priùs probè inculca, vtq; ponderent ac obſeruent perſuade: ſecus Auguſtinus non ſecundùm vos, ſed è diametro contra vos teſtimonium dicet.* O te infelicem, qui ea Catholicis inculcari, & perſuaderi vis, à quibus toto animo & cogitatione abhorres! Vis inculcari Catholicis, non eſſe circa vos diſciplinam negligendam, corrigendos vos eſſe, & ſupplicijs dignos putandos? Hæc enim ipſa ſunt Auguſtini verba. Quorſum ergo tanto labore, integro libello, nihil aliud agere voluiſti, quàm Confœderationis iura tueri & aſſerere; ſi vis vt Catholicis perſuadeamus, ne circa vos diſciplinam negligant, ſed potiùs corrigant, & ſupplicijs dignos cenſeant? Parce ergo nobis, Pacate, ſi deinceps in eam curam incumbemus, vt Catholicis perſuadeamus, ne vobiſcum pacem Confœderationis ineant; quippe qua ſtante, diſciplinam circa vos exercere, & debitis vos pœnis corrigere, prout Auguſtinus præcipit, non poſſunt. Quàm vereor, ne à tuis Euangelicis, diſciplina & correctione aliqua acerbiore dignus, ob iſtam imprudentiam & temeritatem tuam iudiceris? Non enim defenſor es Confœderationis, ſed expugnator. Nam optas vt Catholici Euãgelicos non quidem extremo ſupplicio, ſed aliquo alio diſciplinæ & correctionis genere coërceant, & ad ſaniorem mentem reducant; quæ, quo pacto cum pace inter diſſidẽtes in religione, quam Euangelici expetunt, cohæreant, ipſi viderint.

Pacatus optat vt Euãgelici à Catholicis corrigãtur & puniantur.

 Pergit

Pergit Pacatus respondere, ad exemplum Pauli Apostoli ad fidem à Christo compulsi; quod quidẽ exemplum ad suum propositum, ex Augustino Author vsurpauerat. *De Paulo,* inquit, *quod ex eodem Augustino allegas, nosti proculdubio à Deo ipso eum prostratum & coërcitum, non ab Apostolis.* Egregiũ responsum. Deus, non Apostoli, Paulum ad fidem compulerunt: Ergo nec hæretici sunt ab hominibus ad fidem cõpellendi. Si malum & illicitum est, quenquam ad fidem compelli; ne Deus quidem id faceret: si verò Deus ad fidẽ aliquem compulisse legitur; quid ni magistratibus, qui Dei locum tenent, idem facere liceat? Quid verò dices, Pacate; si Apostolos quoq; ob hęresim in hęreticos animaduertisse ostendero? An non Apostolus fuit Paulus, qui Hymenæum & Alexandrum Sathanæ tradidit, vt discerent non blasphemare?
1. Tim: 1. Addis alteram solutionem. *Nosse & illud potes, longè aliam fuisse Pauli mentem, cùm Damascum petens equo deijceretur, quàm nunc nostra est. Ille Pacem Ecclesiæ, Christianosq; conturbatum & mactatum ibat; nos pacem Ecclesiæ firmari, cædesq; cohiberi expetimus.* Noui Pacate, eandem quæ Paulo fuerat olim, vobis quoq; mentem nunc esse. Nam hoc vnum desideratis & agitis, vt pacem Ecclesiæ conturbetis, & Catholicos vbi potestis mactetis, & nomẽ ipsum Romanæ Ecclesiæ ex hominum memoria deleatis. Idem vobis est propositũ, quod olim omnibus hæreticis, pacem Ecclesiæ perturbare, & altare contra altare erigere.
Epist: 65. *Hæc sunt*, ait beatissimus Martyr Cyprianus, *initia hæreticorum, & ortus atq; conatus Schismaticorum, malè cogitantium, vt Præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, & ordinationem atq; vnitatem Dei rebellatur.* Qui etiam alibi, ita Nouatum hæreticum describit:
Epist: 49. *Curiosus semper, vt prodat; ad hoc adulatur; vt fallat: nunquam fidelis, vt diligat: fax & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis aduersarius, pacis inimicus.* Quia ergo hæretici, nobis & vobis mutuò Euangelici estis, non pacem Ecclesiæ cum Cypriano firmari, sed cum

Nouato hæretico exterminari desideratis. Dicitis, Pax, Pax & non est pax. Loquimini pacem cum proximis vestris, mala autem in cordibus vestris versatis, & Christi vestem cum Ario, pari perfidia & impietate laceratis. Bonum ergo vobis esset, si exemplo Pauli Apostoli ad fidem compelleremini. Quod ego quidem Catholicis vt faciant suadere nolo, licet tu ipse author sis, vt hoc eis suadeatur, vt paulò ante demonstraui.

CAPVT XX.

Refelluntur ea quæ in extremo libello Pacatus in medium attulit.

IN extremo suo libello multa Pacatus affirmat, multa negat, quæ ad examen ipsa quoq; sunt reuocanda. Inprimis negat quenquam ab Euangelicis compelli inuitum, vt cum ipsis sentiat. *nec quisquam, ait, quem coëgerimus, nominari à te tuorumq́; grege poterit.* Quid sunt ergo illæ leges Hollandhispanicæ? quid Anglicæ, quas superiùs diuersis locis retuli? quid illæ pœnæ, mulctæ, & supplicia legibus illis proposita? quid quæso, illa omnia, nisi coactionem & compulsionem Catholicorum, ad sacra ritu vestro obeunda significant? Quid verò R. P. Georgiũ Tiskievicz Societatis Iesv, num è grege Catholicorum esse negas? Atqui is Torunensibus tuis obijcere publico scripto ausus est, pauperes qui in nosocomijs à Catholicis olim extructis, & de iure Episcopo Culmensi subiectis aluntur, ad Lutheranismum ab illis compelli, & ad famulos famulasq; ipsorum, si fortè eas cum morte luctari contingat, nullum Sacerdotem Catholicum admitti. Quod ipse exemplo cuiusdam famulæ Catholicæ, quæ in Noua Ciuitate operam suam vni ciuium pretio addixerat, confirmat, remq; sibi tunc Torunij Rectorem Collegij agenti, perspectam & exploratam narrat. Ne ergo deinceps mentiendo neges, Pacate, nostros à vobis ad vestrã hæresim

Euangelici cogunt Catholicos ad suam fidẽ.

Responsionis cap: 6.

hæresim cogi atq; compelli. Id facitis in Liuonia miseris rusticis, quibus pecuniarias mulctas imponitis, imò in corpora quoq; ipsorum sæuitis, si Ministrorum vestrorum conciones adire recusent. Affirmat verò Pacatus, malè facturos Catholicos Romanenses, si hæreticis pacem Confœderationis negent. *Malè*, inquit, *Catholici Romanenses facient, si tibi dicto audientes erunt. Primò, quia hominibus, non Deo obedient, qui vult ab omnibus & exigit, vt cum omnibus in pace agant.* Imò Catholici, non vobis hominibus hæreticis, sed Deo obedient, qui vobiscum pacem religionis firmari vetat. Nam ideo vos lupis, quemadmodum & alios omnes hæreticos comparauit, vt ostenderet quo loco sitis habendi, & quàm sit omne commercium vobiscum, & in religione fœdus euitandum. *Secundò, quia non nobis, sed Deo ipsi bellum & vim inferent, & θεομαχοι inuenientur, durumq; contra stimulum calcitrare sentient.* Non Deo, sed veris Theomachis aduersantur Catholici, dum vobis pacem Confœderationis denegant. Nam quia cum Ecclesia Christi bellum geritis, cũ Deo ipso impiè pugnatis, & ab inferorum parte statis, cùm Ecclesiam in petrâ solidissimâ, Romano Pontifice Christi Vicario, & D. Petri successore fundatam, coniunctis viribus & copijs oppugnatis.

Pergit Pacatus. *Deo bellum eos illaturos dico, quia Christi doctrinam persequentur, quam etsi premere possint, nunquam tamen oppriment.* Si Christiani essetis, qui vobis bellum inferret, is Christi doctrinam persequeretur; sed, quod tu fortasse non cogitas, Christiani non estis, quia Lutherani, Caluiniani, & Anabaptistæ estis. Præclarè Athanasius: *A Beatis Apostolis præceptoribus nostris, Ministrisq; Euangelij Saluatoris nostri, appellationes adepti non sumus; sed à Christo Christiani, & sumus, & nuncupamur: Illi verò qui aliunde originem fidei suæ deducunt, meritò authorum suorum cognomenta, vt ad quos pertineant, præseferũt. Quomodo igitur Christiani fuerint, qui non Christiani, sed Ariomanitæ* (Lutherani, Caluiniani) *appellantur?* Similiter & Tert: *Christianus intelligendus non est, qui ab Ecclesiæ grege aberrauerit.*

Orat: 2. con: Arianos.

Euangelici non sunt Christiani.

lib: de Pudicitia.

In Præscri.

Et alio

Et alio loco: *Si hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo, quod de sua electione sectati, hæreticorum nomine admittunt.* Non aliter Cyprian. *Quisquis ille est, & qualiscunq; est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est.* Et August. *Si diligenter*, inquit, *quæ ad Christum pertinent cogitentur, nomine tenus inuenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt, re verò ipsa non est apud eos.* Hæc grauissimi & antiquissimi Patres, in sui temporis hæreticos, scripserũt, quos Christianos non esse apertè senserunt; quorum cùm vos sitis germana proles, quamdiu hæretici estis, nunquã nobis Christiani eritis. Adde quod Luthero ipso authore, in Papatu est nucleus ipse Christianitatis. Qui ergo deserto Papatu, nucle⁹ Christianitatis esse desijstis? quid aliud quàm putamen Christianitatis estis? Qui ergo vos impugnant, minimè Christi, sed Lutheri aut Caluini doctrinam impugnare & persequi, censendi sunt. Sed vnde nobis nouus hic propheta cum illa sua prophetia? *Quam etsi premere possint*, intellige doctrinã Lutheri & Caluini, *nunquã tamen opprimẽt.* Certè quotidiana experientia, falsum te esse vatem arguit. Videmus enim Lutheranos paulatim minui ac perire, & alios quidem ad auitam Catholicorum fidem reuerti; alios verò ad Caluinismum tendere, paucos restare qui puri puti Lutherani sint: Caluinistas porrò vt plurimum ad Anabaptistarum partes transire, vt tandem gradu facto, Athei euadant.

Cyprian: epist: 52.

In Enchiri: cap: 5.

Falsus vates Pacatus.

Sed sequor Pacatum. *Prælatos Ecclesiasticos salua religione, nobis pacem Confœderationis concedere, probaui.* Ad eas probationes accepisti responsum, quod donec expugnes, Prælati Ecclesiastici, salua religione pacem Confœderationis se vobis concedere non posse iudicabunt. Nam fidem Catholicam Romanam omnes iurârunt, & vos omnes hæreticos esse, in formula professionis fidei suæ sunt apertè cõtestati. Nullã ergo vobiscũ conuentionẽ, nullã societatẽ inire possunt. *Eos*, inquis, *Christi vocẽ sonãtes, absit pro pastoribus non habeamus.* An non vobis Christi vocẽ sonant, cùm in petra seu

Petro Ecclesiam ædificatam esse docent? cùm portas inferi aduersus eam minimè præualituras aiunt? cùm Petrum vniuersalem ouium Christi pastorem vocant? cùm operib? bonis vitæ æternæ mercedem reddi ostendunt? cùm in Eucharistia non figuram vel symbolum nudum panis, nõ corpus Christi cum pane, sub pane, in pane; sed simpliciter quod Christus dixit, Corpus & sanguinem eius esse profitẽtur? cùm datam hominibus potestatem à Christo remittẽdi peccata, non verò annũtiandi solùm esse remissa probãt? Hæc, inquam, & alia innumera cùm sonant, & auribus vestris quotidie ingerunt, an nõ vobis Christũ sonãt? Nũ ideo pro pastoribus illos habetis? *Alienorum,* ais, *vocem non nouimus, sed ab ea fugimus.* Heus bone vir. An non alieni fuerũt Lutherus & Caluinus? Per quod enim ostium in Christi ouile sunt ingressi? quis eis ostiarius aperuit? De quibus verissimè dici potest, id quod de Donatistarum primis auctoribus scripsit Optatus; quod nimirum fuerint *filij sine patre, tyrones sine principe, discipuli sine magistro, sequentes sine antecedente, inquilini sine domo, hospites sine hospitio, pastores sine grege, Episcopi sine populo.* Idem grauis auctor, vel ex hac vna nota hæreticos, alienos esse deprehendi docet, quòd radicem certæ successionis & legitimæ missionis abruperint. *Videndum*, inquit, *quis in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit, quis Cathedram alteram, quæ ante non fuerit, & quis altare contra altare erexerit.* Tales Lutherus & Caluinus Antesignani vestri fuerunt, qui cathedram sederunt alteram; qui cũ toto orbe in radice nõ manserunt; qui per doctrinæ certam propagationẽ, suis antecessoribus non successerunt; sed illis abiectis & damnatis, semetipsos in Ecclesias Wittenberg. & Geneuensem intruserũt. *Quomodo pastor haberi potest,* ait Cypr: *qui manente vero pastore & in Ecclesia Dei ordinatione succedanea præsidente, nemini succedens, alienus sit & profanus, Dominicæ pacis ac Diuinæ vnitatis inimicus?* Responde tu pro Luthero. Quomodo is pastor haberi debuit, qui manente in Ecclesia Christi vero pastore Leone X. & in ea ordinatione suc-

Lutherus & Caluinus non pastores sed alieni.

lib: 1. con: Parmenia.

li: 1 epist 6.

one succedanea præsidente, repente è monasterio emersit, nemini succedens, Dominicæ pacis ac vnitatis inimicus, alienus, & profanus.

Miratur deinde Pacatus, quomodo author PACIS NON PACIS, hæreticos oues Pastorũ Ecclesiæ vocauerit. *Hîc,* inquit, *satis mirari nequeo, quomodo tui tam citò oblitus sis. Paulò ante lupos, nunc miranda quadam grataq; methamorphosi oues nôs facis, & characterem Christi nobis attribuis. Si igitur oues Christi, si Christi baptismo initiati sumus, si indelebilem Christi characterem in animabus nostris impressum gerimus; cur ab ouili Christi nos excludere gestis? cur ouiculas Christi persequeris? ouis in oues cur tantopere sæuis?* Non est quod mireris, id quod ab aduersario tuo scriptum est. Verè enim quotquot Christi charactere in baptismo insigniti estis, oues eius estis, & ad ouile eius pertinetis, quantumuis errore deuio abrepti, per deuia & saltus feramini, nec in ouili Christi vnâ cum alijs ouibus vos contineatis. Sed hoc potiùs mirare, ecquid dolendâ & ingratâ, imò pestiferâ metamorphosi, ex ouibus Christi lupi, id est errantes, & in errorem mittentes, vt ait Apostolus, & Ecclesiæ ouilis Christi hostes euaseritis? Quos ab ouili Christi minimè exclusimus, ipsi vos exclusistis, exiuistis ex nobis quia non fuistis ex nobis. Quare non iam amplius ouiculas Christi, sed lupos, etsi characterem Christi ouium retinentes persequimur; si tamen persequimur. nam potiùs in Christi visceribus vos complectimur, & quòd pacem Confœderationis vobiscum inire nolimus, non facimus animo persequendi, sed ab erroribus perniciosis, vos omnes ad sanã doctrinam reuocãdi. *Skarga,* inquis, *tuus, verum nobis concedit Euangelium.* Cur locum non nominâsti? verba non produxisti? vt videlicet sine vllo indicio posses liberiùs fallere. *Stapletonus ordinem Ecclesiasticum alicubi habere nos possè fatetur.* Si in Ecclesia Catholica ordinatus quispiam, ad vos transfugarum more se conferat; fatemur illum Ecclesiasticum ordinem retinere, & Sacramenta pro ratione sui ordinis conficere: Sed tamen quisquis talis est, lupus, & hæreticus est.

Euangelici oues in lupos versæ.

2. Tim: 3.

Dicebat

Epist : 48. ad Vincentium.

Dicebat Augustinus hæreticis: *Nobiscum estis in baptismo, in symbolo, in cæteris dominicis Sacramentis; in spiritu autem vnitatis, & vinculo pacis, in ipsâ deniq; Catholica Ecclesia nobiscum non estis: nec Sacramenta Christiana faciunt vos hæreticos, sed praua dissensio.*

Euangelici esto habeāt aliqua Sacramenta, tamen sunt hæretici.

Et ego secutus Augustinum, dico vobis Euangelicis. In Baptismo nobiscum estis, & fortè in symbolo, non tamen in cæteris dominicis Sacramentis, quæ vt plurimùm non habetis; nam & reijcitis illa, & veris eorum Ministris caretis: in spiritu autem vnitatis, & vinculo pacis, in ipsâ denique Catholicâ Ecclesiâ nobiscum non estis, nec Sacramenta Christiana quæ habetis, hæreticos vos faciunt, sed praua dissensio.

Pergit Pacatus. *Sancto Petro, eiusq; successoribus subiectos nos fatemur. At nec soli Petro, nec solis eius successoribus, ipso id volente Petro, qui solum se presbyterum aut pastorem ouium Christi, nunquam venditauit, sympresbyterum verò vocare non erubuit.* Nec sancto Petro, & cæteris Apostolis; nam ab eorum doctrina procul discessistis, cuius tamen vos esse studiosos, Thrasonicè, & falsò iactatis. Petrus Apostolus Scripturam Sacram difficilem esse in multis locis intellectu docet. *in quibus i. Epistolis Pauli, sunt quædam, ait difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suā ipsorum perditionem.* Vos autem affirmatis scripturā esse certissimam, facillimā, apertissimā, suiq; ipsius interpretem. Petrus Apostolus ad bona opera fideles cohortatur: *Quapropter*, ait, *fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* At verò vestri Apostoli, Lutherus & Caluinus, bona opera damnant. Imò asserunt omnia opera iustorum esse peccata, sordes, inquinaméta; videatur Lutherus in assert. articuli 31. & Caluin. lib: 1. instit: cap: 12. §. 4. Petr⁹ Apostolus docet peccata tolli per baptismum. *Baptizetur*, inquit, *vnusquisq; vestrum, in nomine* IESV *Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* Contrariū asserit Caluinus vester. Ait enim, *falsum esse per baptismum solui nos, & eximi ab originali peccato.* Paulus Apostolus docet, hominem in multis actionibus li-

Euangelici proculdiscesserūt à doctrina Apostolorum. 2. Petri 3.

Luth: in præfat: assert artic. 2. Petri 1. Act: 2. lib: 4. inst: c. 15. §. 10. 1. Cor: 7.

nibus liberum arbitrij sui vsum habere. *Quod vult faciat*, inquit, *non peccat si nubat*. Ibidem ait, hominē non habere necessitatem, sed potestatem suæ voluntatis. Atqui Lutherus & Caluinus, in contrariâ sunt sententiâ, asserentes hominē in nullâ actione, nec bonâ nec malâ, libertatis vsum habere; sed à Deo tùm ad bene, tùm ad malè operandum necessitate quadam compelli. Legat qui volet Lutherum in assert. articuli 36. & Caluin. lib: 3. instit. c. 23. §. 6. & 8. Idē Apostolus docet, Deum optare & velle, quantum in ipso est, vt omnes salui fiant, & nemo pereat. *Qui*, inquit, *omnes homines vult saluos fieri*. Caluino verò contrarium placet. *Palam*, ait, *est, Dei nutu fieri, vt alijs vltrò offeratur salus; alij ab eius aditu arceantur*. Ioannes Apostolus docet, mandata Dei vtpote minimè grauia, ab homine iusto facilè seruari posse. *Hæc est*, ait, *caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt*. Secus videtur Apostolo Geneuensi, nam obseruationem legis impossibilem esse cōfirmat. Idem Ioannes meminit orationū Sanctorum in cœlo cum Christo degentium: vestrū autem dogma est, Sanctos nullas pro nobis orationes fundere, nec de nobis sollicitos esse. Iacobus Apostolus docet, Deum non incitare quenquam ad peccatum. *Deus*, ait, *intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*. At verò Caluinus asserit; Assyrios ad prædandum, certâ destinatione fuisse impulsos; & hominē iusto Dei impulsu agere, quod sibi non licet. Idem Apostolus docet, fidem sine operibus mortuam esse: *Vis*, inquit, *scire homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est*. Luther⁹ porrò & Caluinus, aiunt solam fidem sine operibus sufficere ad salutem. Ita Luther⁹ in captiuit: Babylon. & Caluin. lib: 3. inst. c. 4. §. 28. vbi ait; *fideliū peccata venialia esse*. ex quo sequitur fideles ex eo præcisè, quia fideles sunt, posse saluari etiamsi peccent. Deniq; Apostoli omnes in symbolo docent; Christū ad inferos descendisse, quem descensum Caluinistæ constanter negant, vt videre est in Beza in Comment: Act: 2. Hæc breuiter dicta sint ad ostendendum, vos nulli Apostolorum subiectos

1. Cor: 7.
1. Timoth: 2.
lib: 3 inst: ca: 21 §. 1.
lib: 2. inst: ca: 7. §. 5.
Apocal: 5.
Iacob: 1.
lib: 1. inst: c. 18 §. 2. & 4.

esse; sed commenta capitum vestrorum dogmatis Apostolicis anteferre.

Euangelici dissentiunt à successoribus Apostolorum.

Quod autem nec Apostolorum successoribus subiecti sitis, illud est argumento, quòd cum nulla Ecclesia ab Apostolis fundatâ in doctrina conspiratis. Nam vt de alijs Ecclesijs taceam, Romanæ Ecclesiæ, cui successores Petri Romani Pontifices præsident, coniurati hostes estis. Ad quã Ecclesiam, vt principalem, & cæterarum omnium caput, si vos adiungeretis, iure optimo fidem vestram, ad Apostolos authores referre possetis. Ad Ecclesiam enim Romanam, vt ait Ireneus; *Propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndiq; fideles, in quâ semper ab ijs qui sunt vndiq;, conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.* Quæ prærogatiua est huic Ecclesiæ propria, ob Petrũ Apostolum, cui soli specialiter præ cæteris Apostolis, ordinaria omnium Christi ouium cura à Christo est demandata, illis verbis; *Pasce oues meas:* quod etiam rectè annotauit Leo, cùm ait. *Cui cùm præ cæteris soluendi & ligandi potestas tradita sit, pascendarum tamen ouiũ cura specialiùs mandata est.* Nam quod tu obijcis, Petrum nunquam se solum presbyterum, aut pastorem ouium Christi venditâsse, mirum non est. Nam cùm Petrus non fuerit solus presbyter, nec solus ouiũ Christi pastor; quonam iure hoc sibi debuit aut potuit vẽdicare? Fuerunt ergo alij quoq; Apostoli presbyteri, & ouium Christi pastores; Petrus tamen solus fuit summus presbyter, & summus pastorum omnium pastor, vtpote qui alijs quoq; Apostolis in ouilis Christi curâ prælatus est. *De toto mundo,* ait Leo, *vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiæ Patribus præponatur, vt quãuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multiq; pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

lib: 3. ca: 3.

Epist: 89 ad Episcopos Viennen: prouinciæ.

S. Petrus non solus pastor, sed solus summus post Christum pastor.

Serm: 3 de assumptione suâ.

Vrges. Atqui Petrus compresbyterum se aliorum vocat, non caput aut pastorem? Quid mirum? nonne & Imperatores, milites sibi subiectos, commilitones solent appellare? Sed præterea reprehendis dictum illud Authoris; Episcopos à

ſcopos à D. Petro ad curam ouilis aſſumi. *Num igitur*, inquis, *Timotheus, Titus, alij à Paulo instituti Epiſcopi, eorumq; ſucceſſores, curam ouilis non geſſerunt, aut præter ius & fas eam ſibi vſurpârunt?* Cum vmbris & laruis pugnas, Pacate. Neq; enim auctor affirmauit, omnes qui vnquam in Eccleſia Chriſti fuerunt Epiſcopi, à ſolo Petro eſſe creatos, & ad curam ouilis aſſumptos: ſed ſolùm dixit, vos Euangelicos S. Petro & eius ſucceſſoribus, & qui ad curam ouilis ab eo aſſumuntur Epiſcopis, iurè ſubiectos eſſe. Deinde impetum facis in Apoſtoli Petri ſucceſſores: *Succeſſores*, ais, *Petri, videris facere Romanos Pontifices.* Non author eos fecit ſucceſſores Petri; ſed quia reuerâ Petro in Cathedra Romana ſuccedunt, ab vniuerſa Eccleſia ſucceſſores Petri ſemper ſunt habiti. Quid hîc inſulſe mome reprehẽdis? *Vt*, inquis, *cathedræ & loci ſucceſſores eſſe, dem tibi & concedam; at fidei vitæq; S. Petri ſucceſſores eos euinces nunquam.* De vita, moribuſque, non laboramus, etſi plurimos vitæ S. Petri, ſucceſſores Rom. Pont. fuiſſe certò ſciamus. Si à fide Petri eos deſciuiſſe putas, hoc tibi erat nõ aſſerendum tantùm, ſed probandum etiam & demonſtrandũm. Sed, *Ante leues ergo paſcentur in æthere cerui*; quàm tu vel vllus tuorum, Romanos Pont. Petri ſucceſſores, à fide doctrinaq; Petri degeneràſſe demõſtret. Non meminiſti quid dixerit Irenæus, *in Romana Eccleſia conſeruatam eſſe eam, quæ eſt ab Apoſtolis, traditionem?* Non legiſti quid ſcripſerit Bernard. ad Innocentium Papam: *Dignum*, ait, *arbitror, ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua ſedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Ergo quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur: Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. In eo planè impletis Petri vicem, cuius tenetis & ſedem, ſi veſtrâ admonitione, corda in fide fluctuantia confirmatis; ſi veſtrâ authoritate conteritis fidei corruptores.* Quicquid ergo vos omnes, fidei & Chriſti deſertores obganniatis, nõ dubitamus cum grauiſſimis & ſanctiſſimis Patribus aſſerere, ſucceſſores Petri Apoſtoli Romanos Pont. à fide & doctrina

Romani Põtifices non diſceſſerunt à doctrina & fide S. Petri.

lib: 3. c. 3.

Epiſt: 190.

Romana ſedes habet priuilegiũ ne in fide erret.

ctrina ipsius, neq; hactenus degeneráſſe, nec ad extremum vſq; ſeculi tempus degeneraturos eſſe. Manet enim firma Christi promiſſio, *aduerſus Eccleſiam*, in Petro & eius ſucceſſoribus ædificatam, *portas inferi*, id eſt hæreſes & peſtiferas doctrinas, *nunquam præualituras*.

Deniq; moleſtè fert Pacatus, quòd author PACIS NON PACIS diſſuaſerit Principibus politicis pacem Confœderationis. *Hi*, inquit, *ſi Eccleſiam pro ſua virili in pace conſeruare debent, cur pacem eis diſſuades?* Non pacem eis veram Eccleſiæ author diſſuaſit, ſed eam quæ nihil eſt aliud, quàm conuentio Christi cum Belial, & ſocietas ouium cum lupis, lucis & tenebrarum. Alioquin vera Eccleſiæ pax eſt illa, quam Apoſtolus inter Corinthios vigere optabat, cùm dicebat: *Obſecro vos fratres, per nomen Domini noſtri IESV Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, vt non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Eandem ita ad Epheſios deſcribit: *Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus, in vinculo pacis, vnū corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ; vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Eam ergo pacem Eccleſiæ, pro ſua virili conſeruare Principes politici debēt, per quam vna fides & religio in Repub. viget; omnes idipſum in rebus diuinis ſentiunt; omnes ſunt perfecti in eodē ſenſu, & in eadem ſententia; omnes ſeruant vnitatem ſpiritus, ſchiſmatibus omnibus ſublatis & eliminatis. Hæc eſt vera pax Euangelica & Apoſtolica, non illa per quam ſchiſmata & hæreſes fouentur, animorum diſſenſiones & odia nutriuntur, vna fides in multas fides, vel potiùs perfidias diuiditur. *Si religioſa*, inquis, *ſeueritate plectere atq; cohibere debent ea, quæ contra iuſſa Domini fiunt, cur turbas tuas non prohibeant?* Imò tuas & tuorum Euāgelicorum. Vos enim eſtis imitatores illorum, qui Galatas ab Apoſtolo Paulo, vero Christi germanoq; Euangelio inſtructos, in aliud Euangelium transferre cupiebant. *Quod non eſt*, inquit, *aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti.* Horum vos eſtis genuina ſoboles, qui ad hoc veniſtis,

1. Cor: 1.

Ad Eph: 4.

Euangelici turbatores, quia non Euangelium attulerunt ſed fideles conturbarunt.

Ad Galat: 1.

nistis, vt incolas nobilissimi huius Regni, & Prouinciarũ illi subiectarum, iam inde à D. Adalberto, & D. Stanislao, vero germanoq; Christi Euangelio imbutos, & de omnibus Catholicæ fidei dogmatis institutos, in aliud Lutheri & Zuinglij, à dæmone profectum Euangelium transferretis. Quod quidem non est aliud Christi Euãgelium; neq; enim duplex Euangelium Christus attulit; sed hominum conturbatio, & Euangelij Christi conuersio. *Cur εἰκονοδουλείαν & ἁγιοδουλείαν secundùm iussa Domini sublatam; cur integrum Sacramenti à Domino instituti vsum in nobis plectant*, ait Pacatus? Quidni potiùs in vobis plectant, Christum è Sacramento, vel penitus exclusum, vel cum pane malè copulatũ? Quidni plectant, Cruces & imagines sacras tam multis à Christo miraculis condecoratas, à vobis violatas & indignissimè è templis eiectas? Quidni plectant, honorem Sanctis in scriptura solitum exhiberi, per vos eisdem summa impietate sublatum?

Pergis. *Cur in Ezechiæ æmulos animaduertant?* Non estis Ezechię piissimi Regis æmuli, sed Constantini Copronymi sceleratissimi Iconomachi, & Deiparæ Virginis ac Sãctorũ capitalis hostis. Non illius, sed huius infelici satu prognati estis. *Si tolerari debemus, quia omnino prohiberi nõ possumus; quorsum isti tui conatus, quorsum minas, arma, bellum tantopere spiras?* Quorsum verò tu calumniaris, & animos lectorum apertissimis offendis mendacijs? vllamné vel vnico verbo aduersarius tuus in libello suo minarum, armorum, bellorum, in vos fecit mentioné? An enim hoc est arma canere, & bellum apparare, pacem Confœderationis Deo, & humanæ societati inimicam disuadere? Quamuis vos ita animo cõparati estis, vt qualemcũq; vim hæresi vestræ illatam, quæ tamen cùm à legitimo magistratu proficiscitur, nulla ratione censeri iniuria debet, tanquam grauissimam iniuriam ferro, armis, & bello vbi potestis, vindicare parati sitis. Ita minas, arma, & bella spiratis. *Quem, inquis, Regum, quẽ Principum, quem Patronorum suorum, Ministri Euangelici in Polonia*

 docuerunt,

docuerunt, vt Catholicos ab eis dissentientes, pœnis grauissimis coërceant? Ministri vestri, Pacate, scenæ & tempori seruiunt. Si; quod Deus malum auertat, Euangelici apud nos rerum potirentur; sine dubio Ministri eandem cantilenam, quā alibi cantare solent, hîc quoq; modularentur; suaderent Principibus & Patronis suis, primùm quidẽ ære Catholicos mulctare, mox carceri mancipare, deniq; exquisitis supplicijs mactare. Nunc isto rerum statu, quod possunt, apud suos obtinere nituntur; vt subiectis sibi rusticis mulctam pecuniarum imponant, si conciones Euangelicas adire detrectẽt; vt Catholicos ab opificum contubernijs excludant, contumeliosè tractent, & quæ alia ad pessundandam Catholicam fidem, & animos hominum ab eâ auertendos, ingeniosa & malitiosa hæresis solet excogitare, perficiant. Interim autem pacis, & publicæ tranquillitatis, se esse studiosissimos artificiosè simulent.

Frustra se tuentur Euangelici illo verbo, sinite zizania crescere.

Pergis. *Infœlices nos clamas, si in agro Domini zizania simus. Sed non vides bone Logice, ex tuorũ hypothesi nostrates collegisse: Si sumus hæretici, si in agro Domini sumus zizania: Si vos serui patrisfamilias, Dominum vestrum audite, ita vobis mandantem; Sinite pariter crescere vtraq; ad messem.* Ita planè se res habet, hæretici estis, & in agro Domini zizania; Catholici verò debent esse serui patrisfamilias. Sicut ergo serui patrisfamilias in Euangelio descripti, non reputârunt parum sua interesse, quòd ager Domini ipsorum, zizanijs ab inimico homine superseminatis fuerit oppletus; quin potiùs suarum partiũ esse intellexerunt, ad extirpationẽ zizaniorum, studium, operam, & laborem suum, Domino vltro & libenter offerre: ita veri & seduli, Christiq; Domini amantes Catholici, non debent cogitare, nihil ad se pertinere, quòd hæreses in Ecclesia, zizaniorum instar, Catholicis & animabus homin, ceu tritico se immisceant, perniciẽ certissimā afferant; quinpotiùs ita statuere secum debent, ad officij sui rationẽ pertinere, hæreses detestari, & earum perniciem ab animis hominum propulsare, & ad ipsarum extirpationem operā

Catholici vt serui boni Patrisfamilias debent se offerre ad euellenda zizania.

suam &

ſuam, & conatum vltro & libenter Chriſto Domino deferre; idq́; eatenus agere, donec intelligant, hæreſes ſine grauiſſimo Catholicorum detrimento euelli & extirpari non poſſe. Tunc enim permittere debent, ac ſinere vt creſcant, & ſempiternum ignem quo exurantur expectent. Quid in hoc diſcurſu contra Logicam eſt peccatum? At tu Pacate, & malus Logicus es, & peſſimus Theologus, idq́; duplici nomine. Nam primò Catholicis ſuades, vt ſerui boni & fideles patrisfamilias eſſe deſinant; vt de zizanijs euellẽdis, nullam cogitationem curamq́; ſuſcipiant; quin potiùs vt ea feraciùs in agro Dominico exuberent, & lætiùs prouenіant, inita Confœderatione adlaborent. Hæc peſſima Theologia eſt. Nec minùs illa altera: Quòd ad quædam verba Patrisfamilias attendis, alia verò conſiderare prætermittis. Placet tibi, quòd paterfamilias, iubeat ſini creſcere zizania vſq; ad meſſem: illud verò otioſè pertranſis, quòd idem zizanijs ignem ſuo, tempore & combuſtionem minitetur. Quid te iuuat permiſſio Patrisfamilias vt impunè creſcas, pabulum ignis ſempiterni aliquando futurus? Vt ergo bonus ſis & Logicus & Theologus, Pacate, ſic ratiocinare: Nos Euangelici zizania ſumus, quia poſterius tritico, id eſt fide Catholica Romana ſeminati in agro Domini, ab homine inimico ſimus; ergo quantumuis creſcere Domino iubente ſinamur, ne nobis pereuntibus, innumeri Catholici, eodem exitio & pernicie Reipubl. inuoluantur; tamen hoc ipſo miſeri ſumus: & ſin minùs in hac vita, in altera certè perfidiæ noſtræ, grauiſſimas caſq́; ſempiternas pœnas luemus. Sic, inquam, Pacate, ratiocinare, & ſi Miniſter es Euangelicus, in hanc ſententiam Euangelicis tuis concionare, vt & teipſum, & alios ab inferni vltricibus hæreſum flammis eripias. Quod vt ita eueniat, ex animo opto, Deumq́ue precor.

Epilogus ad Pacatum.

Scripsisti Pacate, sed scriptionis tuæ scopum non es assecutus. Propositum tibi erat, Confœderationis inter dissidentes in religione, in Regno Poloniæ iura asserere. Hæc non asseruisti, sed me vt illa nulla vnquam fuisse ostenderem, prouocâsti. Multa pro pace religionis Catholicorum cum Euangelicis attulisti; sed ea talia fuerunt, quæ pacem huiusmodi, nec scriptura, nec rationibus, nec exemplis niti ostenderent. Rationes Aduersarij tui dissoluere es conatus; sed nec eas soluisti, & tuis te proprijs laqueis implicâsti. Res luce meridianâ clariores multas, quæ in oculis Europæ geruntur, negâsti; mendacia multa scriptioni tuæ aspersisti: oleum & operam perdidisti. nam nec Catholicis quicquam persuasisti, nec à tuis gratiam vllam quod sperabas collegisti. Quam enim tibi gratiam habeant, quòd eos hæreticos esse, id vnum te acriter vrgente demonstraui? Quî tibi non potiùs succenseant, quòd author fueris, vt ex D. Augustini sententiâ, seueriore disciplina à Catholicis coërceantur? Quapropter si sapies, Pacate, in posterum à scribendo contra Catholicos abstinebis. Malam causam tuendam suscepisti: quicquid pro eâ feceris, in irritum cadet. Tu semper hæreticus audies; & contra stimulum frustrâ calcitrabis.

Vale itaque, & ab hæresi resipisce.